DE PUBLICATIS

tempore motuum civilium XVI[i] sæculi

ECCLESIÆ GALLICANÆ BONIS IMMOBILIBUS

(1563-1588)

THESIM

proponebat Facultati litterarum Lugdunensi

P. RICHARD

PARIS

A. PICARD et FILS

82, Rue Bonaparte, 82

1901

DE PUBLICATIS

ECCLESIÆ GALLICANÆ BONIS IMMOBILIBUS

DE PUBLICATIS

tempore motuum civilium XVI[i] sæculi

ECCLESIÆ GALLICANÆ BONIS IMMOBILIBUS

(1563-1588)

THESIM

proponebat Facultati litterarum Lugdunensi

P. RICHARD

PARIS

A. PICARD et FILS

82, Rue Bonaparte, 82

—

1901

REVERENDISSIMO MAGISTRO

P. DADOLLE

Eminentissimi Archiepiscopi Lugdunensis
Vicario generali

D. D.

P. RICHARD.

INDEX FONTIUM ET LIBRORUM

Plerasque res quas referam, e tabulariis publicis et annalibus illius ipsius ætatis deprompsi, aut posterioris, in quibus transcripta sunt instrumenta aut litteræ, quæ de venditionibus agebant; perpaucas vero res minimique momenti e libris excerpsi, qui sive eadem qua dixi ætate, sive etiam recentiore editi sunt. De iis igitur diversi generis monumentis mihi primo dicendum est.

I. — FONTES

Fontes autem ita mihi in triplici pro pretio rerum ordine occurrerunt, ut primo reponerentur edicta, mandata, vel monita, quæ de rebus vendendis aut venditis dederint summi pontifices, reges et Cleri procuratores; secundo vero litteræ oratorum, qui de iisdem egerint; tertio tandem, varia virorum testimonia, qui nonnisi fortuito quasi casu ad rem accesserint.

I. Instrumenta. — 1° In primo loco, longe maximum omnium habemus documentum, e tabulario rerum Ecclesiæ dicto *Agence du Clergé*, apud *Archives nationales*, G 8 et G8*; in quibus, illa ipsa ætate, collecta sunt a procurato-

ribus totius Cleri, seu *Syndicis*, omnia quæ respicerent ad tributa fisco persoluta. Quæ monumenta, postquam, ut in ærario quodam, jussu Conventus sacri apud Milodunum coacti, collata sunt, non semel recognita fuisse constat e G^{8*} codicibus *2.846 et 2.847*, qui notatione quadam certe digni sunt.

Postea, scilicet xviii° sæculo, non pauci ex iis fontibus cura Syndicorum bis collecti, bis etiam, nec iidem, nec eodem modo typis mandati sunt. Alii enim, inter quos bullæ sunt pontificum, in opere, cui titulus *Mémoires du Clergé*, bis et ter in lucem editi, ultimum autem Lutetiæ Parisiorum, 1780, in-4°, mihi multa præbuerunt, e volumine *nono* deducta. Sed ab opere posteriore, *Procès-verbaux des assemblées du Clergé*, 9 vol. in- f°, Paris. Lut. 1767-1784, dicto, quod annales Comitiorum totius Cleri contraheret, vix hoc aut illud mutuari potui.

In tabulario vero *Agence du Clergé*, multa nunc etiam reperiuntur, quæ nostrum spectant argumentum, et sunt maximi momenti : Rationes alienationum per provincias, acceptæ scilicet et expensæ pecuniæ, insertis sæpe, plerumque inter rationes provinciæ Senonensis, decretis aliisque instrumentis ; exempli causa, rationes alienationis mense novembri 1568 edictæ, in codicibus 1383-1392 ; anno 1576, in 1377-1379 ; anno 1586, in codice 1361. Quæ quidem rationes a Coactore totius Cleri, *Receveur général du Clergé*, ad Concilium a summo pontifice delegatorum virorum delatæ sunt. Res vero per provincias venditæ a judicibus, sive regis sive Cleri, prædia, domus, jura aut bona immobilia, non omnes sane, in codicibus 1203-1251 percensentur.

Alia autem volumina, verbi gratia 226, 1355, 1356, etc. res a prioribus Syndicis gestas exponunt. Tandem codex

595, cui titulus : *Procès-verbal contenant les comparutions, propositions*...., est ipse libellus scribarum propria manû obsignatus, in quo relata sunt consilia in comitiis Blœsensibus prioribus sacri conventus, qui multa cum rege de venditionibus disputavit. Et codex typis apud *Lalourcé et Duval*, *Forme des Etats généraux*, in-8°, Lut. Paris. anno 1789, tome V, mandatus est.

2° In Curia *Parlamenti* dicta, pluries de alienationibus agitatum fuit, quippe cujus in tabulario referrentur litteræ publicæ. Hujus tabularii, apud *Archives nationales* X^{1A}, duas potissimum partes excutere debui : nempe volumina, in quibus translata sunt consilia senatorum de referendis decretis, exempli causa codd. 1604 et 1605, de alienatione anni 1563 ; et volumina 8627 aliaque proxima, in quibus hæc eadem decreta sunt a subscribente scriba relata.

Fateor equidem mihi magis pervios fuisse usuque faciliores quosdam codices, in quibus postea senatorum eadem consilia transcripta sunt : illi autem codices, a quibusdam senatoribus accurate servati, in *Bibliothèque nationale, Fonds français* repositi sunt, ut codd. 18.303, qui hac ætate scriptus est, et 21.243-21.247, qui reperiuntur inter alios non paucos cura Colberti illius consiliarii regis scriptos.

3° Nonnullas insuper detexi publicas litteras in quibusdam ejusdem *Bibl. nat., Fonds franç.* codd., ut in *4.999*, qui mihi videtur a primis Cleri Syndicis ad transcribendos aliquot e suis libellis compositus esse, et *15.746*, qui sæculo XVII° de rebus Ecclesiæ scriptus est. Ibi inveniuntur inter alia duo libelli defensionis, quibus iidem Syndici se purgarent, ad Comitia sacra dati. Cum Syndici frequenter cum Concilio regio de rebus agerent, videas etiam oportet unum aut alterum locum, in quo de iis fit mentio,

codicis 18.156, qui quasi Concilii diarium a *Camus de St-Bonnet* scriptus est. Non pauca autem instrumenta, ipsa quidem, pluraque alia transcripta, sunt in *Fonds Dupuy cod. 543* collecta, ut quæ spectabant ad anni 1587 alienationem.

II. Fontes ab oratoribus accepti. — Nunc deveniamus ad litteras oratorum, qui de alienationibus egerint. Primum oratorum regiorum, qui cum Pontifice romano orarent ; quæ anno 1576 sunt exsecuti, ea scripta sunt postea, et reperiuntur in Bibl. nat. cod. 17.991 ; propriæ vero litteræ, in codd. 16.041, 16.042, et 16.045 servatæ, nempe in quibus Parisiensis episcopus anno 1585 legationem renunciabat.

2° Nec nuncii, ad regem Francorum a pontifice missi, res illas poterant omittere, etiamsi potius ille eas cum ipso pontifice agitabat. Frequenter igitur eorum litteris usus sum, Romæ in *Archivio del Vaticano*, *Nunziatura di Francia* collectis, præcipue in codd. 7, 8, 10 et 283, et res Ecclesiæ non paucis argumentis ex hoc fonte depromptis illustrare potui.

III. Testimonia virorum hujus ætatis civilium. — Ne mancum sit inceptum opus, laudamus etiam quasdam scripturas in quibus de alienationibus strictim dictum est. 1° Credo non fuisse publice compositum quodcumque pontifex romanus et cardinales de rogatis alienationibus consulerent, sed satis fidem fecerunt quidam ex iis qui aderant, a quibus scriptis tum mandata sunt illa *Acta consistoralia*, quæ in Bibl. nat., Fonds latin codd. 12.560, 12.561 et 12.563 mendose, et in Biblioth. Corsini Romanæ 47-49 emendatius transcripta reperiuntur.

2° Oratores Venetiani, cum his rebus se attentos præbe-

rent, præclara quidem testimonia reliquerunt, et fide digna, sed eorum litteræ, in *Bibl. nat.*, *Fonds italien* codd. 1724, 1726-1729, 1735, 1736 transcriptæ, non omni menda carent.

3° Nec potui facere quin, quo melius appareret quid factum fuerit in provinciis, testes in opus citarem quorumdam capitulorum annales, ut canonicorum Ecclesiæ S[t]-Joannis Lugdunensis, *Archives départementales du Rhône. Fonds St-Jean*, *Délibérations capitulaires*, reg. LII.

II. — MONUMENTA TYPIS MANDATA

Pauca adhibui, quæ breviter indicabo.

1° In *Bibl. nat. Imprimés*, *Ld*[5] collecta sunt instrumenta non pauca, typis illa ætate mandata, quæ videntur in Tabulario Cleri primum fuisse ; illa tamen potius e fontibus quæsivi.

2° Ne prætermittamus commentarios, vel litteras quorumdam virorum, qui partem vel minimam in negotiis alienationum obtinuerunt, ut annales illius Gulielmi de Taix, canonici Trecensis, qui non spernendus Cleri procurator fuit in comitiis illius ætatis, *Mémoires des affaires du Clergé, Paris, 1625, in-4°;* ut commentarios, in quibus quidam Parisiensis parochus res suæ ætatis narravit, *E. de Barthélemy, Journal d'un curé ligueur,* Paris. Lutet. 1866, in-18° ; ut litteras nuncii Prospero Santa Croce, 1561-1565, apud *Cimber et Danjou, Archives curieuses de l'histoire de France*, tome VI, in lucem editas ; ut ea (nec minima quidem sunt), quæ de condicione Galliæ oratores Venetiani scripserunt, *Tommaseo, Relations des ambassadeurs vénitiens sur les affaires de France*

au XVI^e *siècle*, in-4°, Paris 1838, in *Collection des Documents inédits*.

3° Ultimo loco veniunt nostræ ætatis libri, qui meum argumentum attigerunt ; duos tantum reperi. In Annalibus enim ecclesiasticis Baronii, curante Theiner iterum editis, Paris. Lutet., 1864, in-f°, tom. 34, 35, non semel commemorantur alienationes; et tom. 37, ad annum 1574 transcripta sunt ex tabulario pontificum, *Archiv. del Vatic.*, nonnulla instrumenta. Sed *Furgeot*, *Des aliénations du domaine ecclésiastique sous Charles IX*, in *Revue des questions historiques* volum. 29, mirum est quam imperfecte rem ita verbis exsecutus sit, ut vix aliqua potuerim operi meo adhibere.

DE PUBLICATIS

ECCLESIÆ GALLICANÆ BONIS IMMOBILIBUS

PROŒMIUM

Ut rem, quæ diu permagni fuit momenti in annalibus Ecclesiæ gallicanæ, dilucide tractemus, quædam sunt primum notanda, nonnullæ quasi leges proponendæ, quibus facilius explanentur capita juris civilis aut religiosi quæ, in dubium vocata, litem inter partes constituerunt. Controversia enim erat maxime de jure, quod sibi adrogabant in bona sacra Summus Pontifex, Rex Francorum, et ipse ordo clericorum in Gallia, de horum bonorum, si minus origine, at certe natura, de potestate ea administrandi, fructus percipiendi. Non igitur quænam fuerit origo litis, aut quæ varia in temporibus anteactis hujus fortuna, quod otiosum esset, nobis dicendum, sed aliqua ex jure sacro depromemus, quibus illustretur horum bonorum pro illa ætate condicio.

Jus in hæc bona proprium, quod dicitur *dominii,* est penes Summum Pontificem, quippe qui sit caput Ecclesiæ vicesque gerat Christi. Hujus est proinde potestas ea disponendi, mutandi, minuendi, vendendi, etc., dum hoc aut

illud requirat Ecclesiæ communis necessitas, de qua solus ipse judicat. Sic sæpe fecit, exempli causa ad sustinenda vel adversus paganas gentes, vel adversus populos a fide Christi dissidentes bella sacra. Clerici vero, ex legibus Ecclesiæ, non fruuntur nisi quodam jure *usus et fructus* terminato, scilicet quæ deteriora facti sint reficiendi, fructus ad usum percipiendi ; sed non possunt bona vendere, aut cum aliis commutare, nec ipsi episcopi, propria saltem auctoritate, etiamsi sint in conventu seu *concilio*. Hoc prædiatorium jus vocatur ex legibus sacris et romanis *usufructus*, qui vero illud habent *usufructuarii*.

Jus tamen pontificium re vera quibusdam definitur terminis, quos posuerunt mores, consuetudo, leges gentium, aut voluntas principum et procerum, a quibus his bonis donata est Ecclesia, aut etiam regum libido, seu potius utilitas imperii et dominationis stabiliendæ : quibus causis, quippe quæ ad publicam necessitatem pertinerent, pontifices impulsi sunt ut de suo jure, libentes vel inviti, aliquid cederent, et pro bono pacis, aut propter timorem pejoris mali rem tolerarent. Res enim hujus modi, etsi proprio usu, cum in bonum Ecclesiæ et clericorum essent religionisque ritibus implendis addicerentur, a condicione omnium aliarum, ut sacræ, alienæ erant, ita ut sacrilegium admitteret qui eas attingeret, extra leges quibus regitur civilis communitas poni prorsus non poterant.

Reges igitur concedimus jura in illas quædam habuisse ex natura proprii eorum imperii, pro eo quod hæc bona, quæ *temporalia* nominantur ex ipso more dicendi Ecclesiæ, ad ordinem pertinent rerum civilium et publicarum, de quibus statuendi plena regibus defertur potestas. Sed hæc jura, quæ sibi reges vindicabant, strictiore modo contendebant intelligenda. In regno enim Franciæ, ne plura dicamus, tradebatur more antiquo, qui vocabatur *droits du roi et privilèges de l'Eglise gallicane*, bona clericorum sub tutela regum esse, quasi titulo patronatus, ita ut

non liceret ea, nisi ex illorum auctoritate, in minimis etiam immutari. Immo erat acceptum, ut legitima consuetudo, regiam apud Curiam, hæc bona similiter habenda esse ac regis bona propria, vel agrum publicum, *domaine de la couronne* dictum, quod nullo modo poterat alienari.

Hoc extra controversiam ponebatur, ut quod jam a longo tempore ab omnibus, sive a legum peritis jurisque consultis, sive a clericis doctissimis ipsis, admittebatur, sed inter hos surrexerat et illos jamdudum maxima contentio. Hic fuit fons totius certaminis Regum cum clericis, de quo infra, nam non pauci rerum publicarum peritissimi aliique viri, qui juris in interpretatione versabantur, docebant res sacras a dominis ex antiquo clericis, ut depositum, commissos esse ad pia opera, quas principes, qui dominorum in jura veterum successissent, possent pro voluntate reposcere, et, ut omnia cetera, sic et clericorum bona ab iisdem deflecti posse ad communem necessitatem, utilitatem etiam, immo principes illos sic agere posse, nemini tamen nisi Deo rationem debere.

Hanc doctrinam, cum nimium aliquid haberet, in scholis tantum eruditi disputabant, sæculo vero decimo sexto reges Francorum usurpârunt, ut suis ipsorum necessitatibus, deficiente ærario, pecunia sacra subvenirent. Sed religione reverentiaque impulsi, ab ipsis fundis abstinebant, quos semper sacrosanctos et intactos eorum decessores habuerant, a fructibus autem non pariter abstinebant Franciscus I et Henricus II reges. Compertum enim habemus ex auctoribus omni fide dignis (1) illos, hac fretos doctrina, quotannis fere a clericis multa tributa exegisse.

(1) His verbis illa testatur orator venetus Marino Cavalli, in *Relations des ambassadeurs vénitiens en France*, Paris 1838, *Collection des documents inédits*, tome I, pp. 296, 298: Considerando il re che tutti li benefizii di Francia sono over di fondazione reale, over de' principi (nel loco dei quali, loro sono successi) o vero sono stati dotati dai populi (delli quali loro ne sono legitimi signori e padroni) : gli par per questo poter aver libertà, senza consenso d'altri,

Opinio tamen erat virorum rei sacræ peritissimorum non licere ex more antiquo, quem vocamus *coutumes et libertés de l'Eglise gallicane*, bona Cleri vendi contra vel citra dominorum consensum (1). Non autem omnino apparuit hæc doctrina ante XVI^{um} sæculum, si saltem inquirimus qua ratione agendi uterentur vel reges, vel ipsi Pontifices. In scholis enim tantum ea sententia proferebatur. Docebant etiam iidem, adversus legum jurisque civilis peritos, fructus ex consensu Cleri posse alienari, non autem ipsa bona immobilia, nisi accederet etiam consensus summi Pontificis, nec domos aut castella, agros, census aliaque jura dicta *feodalia*, ut jurisdictionem, nec maxime *decimas*, quæ solvebantur clericis ipsis, ut quæ omnia necessaria essent ad servandum, inter alios gentis ordines decus, dignitatemque Ecclesiæ.

Haud facile est altius clariusque controversias dirimere, quæ libere in scholis agebantur, sed res est parvi momenti. Hoc tantum nostro conducit argumento, tributa quæ regibus Francorum solvebantur, saltem ante XVI^{um} sæculum, nunquam caruisse consensu, non pontificum modo, sed etiam Cleri ; providerant autem reges ut hujus vicem tenerent præsules quidam et optimates, qui essent inter familiares inque comitatu. Qui mos convaluit, sed in hoc ipso sæculo, pacta etiam reges invocabant fœderis, quod *Concordatum* nomine fecerant cum Pontifice.

Ceterum non constat illos, ante tempus motuum civilium, jus vendendi bona immobilia pro necessitate fisci usurpasse. Eis enim satis erant aliquæ partes fructuum,

dimandare qualche aiuto nelli bisogni alli suoi amici, e a quest di dare..... E cosi quel clero, che è affezionato al suo re come di raggione si deve essere, paga sempre, senz'altra licenza da Roma, da due sino a sei e sette decime all'anno. Hæc in promptu sint, ut instituatur tantum qua doctrina reges tot subsidia perceperint e bonis Ecclesiæ.

(1) Aut saltem consensum totius Cleri Galliæ, ab optimatibus, sive cardinalibus, sive episcopis, præstitum.

quæ titulo *decimarum* vel *doni gratuiti* solvebantur, et quidem in annum ampliores uberioresque. Cum autem primum alienati sunt, ut videbimus, fundi bonorum, hoc visum est plane inauditum et, ut confessi sunt ipsi oratores regii, extra ordinem omnino et temporum consuetudinem anteactorum. Dicentibus autem iisdem istud facinus a nemine prorsus impellente procedere, nullaque ex adversa doctrina, sed regi sola necessitate rerum imponi et legitima, non possumus prorsus acquiescere, nam, quidquid agebat illa necessitas, nunquam fortasse principes rebus sacrosanctis manus adhibere tunc demum ausi essent, quod nefas semper habitum erat, nisi novarum viri cupidi doctrinarum huic monstro jam populos assuefecissent.

Sectatores enim surrexerant cultus ante ignoti, qui dicebantur tum *Sectarii*, quibus ministri regis assentire, quorum etiam commenta in administranda re publica sequi videbantur; quidam erroris fontes inter gentis ordines irrepserant, quibus pene submergebantur omnia, et ante alia clericorum oppugnabantur jura vetera, necnon ipsa possidendi facultas. Etenim fautores isti novarum rerum, qui varias in Europa partes jam penitus conturbarant, audaces se extollebant in regno Francorum, viros nobiles, divites, legum liberaliumque artium peritos alliciebant doctrinæ oblectamentis, in Concilium etiam regis pervadebant, in quo plures, et ipse Cancellarius *Michel de l'Hôpital,* illis secreto vel etiam aperte favebant. Opinionibus vero, quas profitebantur hi sectarii, omnium doctorum ingenia virorum et pleræque fere optimatum vel opulentissimorum ita mentes imbuebantur, ut errores illi pervulgati fierent et communes, regesque consilio nefando, excusantes instantem inopiam, ad usum regni et pro publica utilitate, bonis Ecclesiæ, quod nunquam ipsi ausi essent, a ministris uti cogerentur.

Non enim ignoramus ab istis Sectariis bona illa jam in

multis locis direpta et publicata esse ; at in regno Franciæ, cum urgerent ærarii regii creditores, crescente in annum ob immoderatas impensas ære alieno, non defuerunt qui censerent illa debita non nisi bonis Ecclesiæ, cum copiosa et integra remanerent, vendendis solvi posse. Hæc igitur sententia mox prolata est in comitia conciliaque publica, quæ a rege, ut de placandis deliberarent debitoribus, convocabantur ; immo rogaverunt in libellis supplicationum, quos regi obtulerunt, ut publicarentur bona sacra.

Omittimus quidem Sectarios, inter comitia propria Occitanæ provinciæ, contra opes clericorum vehementer insurrexisse (1) ; sed in comitiis totius regni, quæ Pontisaræ sederunt anno 1561, nobiles plebeiique, nomine mandantium, expressis verbis exspostulaverunt ut clerici regis æs alienum quoquomodo solverent, bonorum suorum etiam partem vendendo, « attendu que ce sont biens provenuz du roy et de la noblesse, desquelz la propriété appartient en corps au commung du royaulme, et les gens d'église n'en ont que l'usufruict seullement (2) ». Immo plebis orator, audacius progrediens, duplicem protulit viam, qua nimiæ clericorum opes adusum publicum reducerentur, et earum aliqua pars, aut etiam omnes publicarentur (3).

De quibus otiosum est plura exponere ; hoc tantum notatione dignum est sententiam illam, quam modo retulimus, a plerisque tunc temporis ut veram haberi : Ecclesiæ autem esse res suas adhibere ad bonum commune, cujus rex solus esset sponsor, proinde propria regis in potestate

(1) Vide apud *Panthéon littéraire*, tome 62, in *Mémoires de Gamon, avocat d'Annonay*, p. 339.

(2) Hæc verba, ex libello nobilitatis exspostulationum prolata, referuntur apud G. Picot, *Histoire des Etats généraux*, in-8°, Paris 1872, in tom. II, p. 245.

(3) Vide *ibid.*, pp. 246, 247, in quibus breviter contrahuntur duæ rationes publicationis.

poni bona illa, quæ pro necessitate instante vendere posset. Nec omiserunt Concilii assessores ministrique regii quin quid ex iis, persuasione omnium inductus, princeps in bonum publicum conferret, quod non multo post tempore re vera factum est.

PARS PRIMA

QUA RATIONE RES SACRÆ, VIRORUM NOVIS REBUS FAVENTIUM IMPULSU VENDITÆ, A CLERICIS REDEMPTÆ SINT (1563-1568)

Regina parens tamen, Catharina Medicea, quæ sub rege puero summam moderabatur rei publicæ, non ausa est primum iis consiliis annuere, sed comitiorum denunciatione commota, voluit ab ordine clericorum copiosiores pecuniæ solverentur, illiusque majora mala timentis mentem dubiam impulit ut annuum tributum constitueret. Quod tamen mox non suppetiit : suasores itaque reginæ, novitate rei jam non cohibente, cum nanciscerentur occasionem manus ad bona sacra porrigendæ, visi sunt minus fere cura rei publicæ quam propriis commodis duci, seu potius eorum avaritia qui bona Ecclesiæ appeterent. Mirum prima specie videtur Sectarios, bona illa tum diripientes, refrænari non potuisse quin eadem disperderentur; sed, cum hæc ad utilitatem veri cultus dedicata essent, omni reprehensione carebant, qui pro salute illius ea adhiberent, præsertim cum incursus Sectariorum anno 1562 horrendi periculis Ecclesiam et labore, quem nondum novisset in Gallia, opprimerent. Ceterum non est infitiandum hujus belli sustinendis impensis plane imparem fuisse fiscum exhaustum.

Urgebat necessitas, nam non parva gallici agri pars, cum funditus vastata esset, aut in hostium potestate versaretur, nullas opes præstabat. Insuper nullus locus erat, aut facultas exigendæ a Clero sicuti temporibus anteactis

pecuniæ, quæ ab aliquibus tantum, cum graviore onere nec nisi difficulter longoque tempore, posset exsolvi. E contra promptam obviamque pecuniam confestim, e nonnullis congregatam venditis prædiis opulentioribus, dummodo essent integra delectaque, præbituri erant regis in provinciis ministri. In quo negotio quod, etsi erat extra rerum ordinem et omnem consuetudinem, necessitas a qualibet eximebat culpa, non curandum, dicebant, ut primum exquireretur consensus romani pontificis ipsiusque Cleri, quæ condicio a jure sacro imponebatur.

Sed clerici, quos propria commoda totiusque ordinis, et Ecclesiæ jura, non minus movebant quam fides semper regi servata, non poterant, præsertim cum nunquam a regibus postulata, dummodo gratuito concessa viderentur, vectigalia denegassent, non poterant, inquam, facere quin respuerent novam inauditamque rationem agendi qua, viis veteribus omissis spretaque omni lege Ecclesiæ, spoliabantur. Ceterum, ut eis res non videbatur adeo urgere, quippe quæ, non bello instante, sed jam finito, incepta esset, ita censebant se præstare extemplo posse alia qualibet ratione, dum res sibi permitteretur, pecuniam qua princeps indigeret.

In hac contentione primores inter regii Concilii virosque ordinis sacri, horum pro parte stetit Curia *Parlamenti* dicta, cujus erat tueri veteres regni leges et instituta, ipsum ordinem clericorum, et omnia quæ ad publica sacra spectabant. Auctores vero novæ rogationis rem experiri primum visi sunt, et quasi animos explorare eorum, in quorum mentem non veniebat bona sacerdotum alienari posse. Mense enim februario anni 1562 (ut primum numerare solebant), rogatio delata est ad Curiam, ut venderentur bona Ecclesiæ, e quibus centum millia francorum quotannis redirent ; nam hæc ratio æstimandi apud argentarios in usu erat, a quibus juxta morem XXIV sortis franci pro uno fenoris tum dabantur, et in publicis ins-

frumentis propter commoditatem usurpata est. Dicebant igitur illo tempore pecuniam *au denier 24* mutuari, qui mos fenerandi non idem erat ac Romanorum. Hoc semel notandum erat, nam sæpe hunc dicendi modum et nos usurpabimus. Regina igitur, ex iis quæ alienanda erant, sperabat fiscum quater et vicies centena francorum millia accepturum esse (2.400.000 livres).

Die decimo quinto ejusdem mensis, cardinalis a Guisio Curiam adibat, ut verba faceret de rogatione in publicas tabulas perscribenda (1). Oratori, patet ex propriis verbis, præceptum erat ut rem non adeo gravem esse demonstraret, affirmaretque regem, propter reverentiam bonis sacris debitam, quorum ipse, sicut et majores ejus habuissent, tutelam semper retinere vellet, polliceri dato juramento se, sicuti nunquam, ut fatebatur, in mancipatum venissent, ita non amplius ea, post pericula quæ nunc instarent, publicaturum esse. Eadem fere verba sunt a quibusdam senatoribus prolata, atque in memoriam audacter revocarunt reges, cum semper hanc tutelam in laudem sibi vindicassent, nunquam bona sacra, quamvis esset gravis necessitas, attigisse.

Curia respondit se rem accuratius inspicere velle, sed in primis, quod æquum plane videbatur, accipiendas censebat intercessionis causas et exspostulationes, quæ a procuratoribus totius Cleri Galliæ, seu Syndicis *(Syndics généraux du clergé)*, proponerentur. Unus vero ex iis, nomine *Duvivier*, fretus auctoritate clericorum Parisiensium, qui bis congregati de re eadem nonnulla consilia ceperant (2), longam XVIII° mensis die attulit chartam in

(1) Verba ejus cum ipsa rerum relatione summatim referuntur in codicibus deliberationum Curiæ, vide apud *Archives nationales*, X1A, in codice 1604, f°s 316, 317, et Furgeot, *Des aliénations du domaine ecclésiastique sous Charles IX*, apud *Revue des Questions historiques*, t. 29, p. 451-455.

(2) Documento sit Ed. Barthélemy, *Journal d'un curé ligueur*. Paris 1866, in 12°, p. 61.

qua, ut probaret venditionem non esse necessariam, immo contra leges juraque Ecclesiæ, quasdam profuse rationes exponebat, quibus a Clero regni necessitatibus extemplo succurri posset (1).

Quis miretur clericos hoc regis amicorum opere, quod postulatis Sectariorum comitiorumque totius regni consentaneum esset, immo videretur ea adimplere, esse permotos ? Syndici verba juris invocabant, quibus licebat extremæ tempore necessitatis quasdam bonorum partes ita ad tempus alienare ut, cessante ipsa necessitate, res clamaret domino, et statim pro pretio restituenda esset. Istius tamen generis negotium, quod vix nomine venditionis vocari poterat, non nisi difficillime successurum esse providebantur ; emptores enim nulli erant, qui pecuniam suam darent, non ut rem possiderent, sed tantum acciperent in depositum. Novitate potius facinoris quam Syndicorum dictis permota, decrevit Curia rogationem non perscribendam, sed obtestandum esse regem ut pecuniam potissimum quæreret ex reditu annuo ducentorum millium francorum, qui statim in tributum, de quo supra, quotannis a Clero solutum fundaretur.

Et ita factum, sed cum negotium, emptoribus parum fidentibus, tardiore procederet incessu, regina non abstinuit a priore proposito, immo amplius id effecit, constituitque vendenda esse prædia Ecclesiæ, quæ annuum ad centum millia nummorum, vel trecenta francorum millia

(1) Hæc mihi videntur explanata in libello cui titulus : *Remonstrances à Messieurs de la Court, de Parlement contre laliénation de bien et temporel de l'Eglise gallicane;* post ea verba legimus : *Lesdictes Remonstrances furent faictes par moy en la court et à icelle baillée par escrict par son ordonnance après lesquelles veues et entendues elle envoya son advis au Roy pour ne publier ledict édict combien que depuis lon a faict le contraire.* In Bibl. nat., Fonds franç., man. 4.999, f^os 139-144. Hæc consentiunt cum iis quæ in codice curiæ, loc. citato, f° 328. curia XVII die februarii sedente, notantur : *Le clergé a faict dire quil avoit autres moyens à proposer.*

præberent fructum. Sed quo tutiorem exitum res haberet incepta, renitentisque Cleri conatus cohiberentur, auctoritas invocata est Summi Pontificis, cujus erat solius, ut diximus, decernere de facultate alienandi. Ubi data est sententia senatorum quam retulimus, missus est Romam eques Melitensis ordinis quidam, Michael *de Sèvres*, qui de illa facultate ageret apud pontificem; postulatum est insuper ut nuncius pontificis in Gallia, *Prospero Santa-Croce* dictus, legationem illam commendaret. Confessus est quidem ille, in litteris quas ad dominum misit, rem nunquam tentatam esse, sed affirmavit nunquam fuisse tantas causas ut tentaretur, nec graviorem necessitatem (1). Hæc satis erant ut regina se posse crederet tuto quod volebat persequi, quin etiam decrevit utres ad finem, non exspectato Pii papæ quarti consensu, produceretur.

Res tamen non integra remanebat, cumque pax Sectariis optima nuper concessa esset, non poterant sperare ministri regis Pontificem et clericos benignos fore. Immo quonam jure licebat bona sacra dividi, et quasi discerpi, ut Angli e solo Galliæ (nam et hunc esse finem venditionis fateri non dubitabant, qui a rege stabant), depellerentur? Nonne hoc erat ea in profanum usum detorquere, quod legibus Ecclesia semper prorsus fieri prohibuerat? Sed in concilio regis superabant amici Sectariorum, quorum somnia non paucis arridebant, itaque placuit institutum, repudiatumque est temere quidquid a quoquam poterat objici.

Rogatio igitur ad Curiam mense maio 1563 delata est, sed cum major pars senatorum ei repugnarent, aut saltem viderentur quærere occasionem rei producendæ, rex ipse, timens ne proposita, quibus extemplo uti pernecesse esset, vel paululum haberent moræ, concilium supremum XVII ejusdem mensis summo adiit apparatu, curavitque ut

(1) In litteris nuncii XIII Martii 1562 datis, apud Cimber et Danjou, *Archives curieuses de l'histoire de France*, tome VI, pp. 129-131.

rogatio secundum modum solemniorem, qui vocabatur *lit de justice*, perscriberetur (1). E quibusdam locis orationis, quam cancellarius *de l'Hôpital* ea die habuit, non obscure percipitur, multorum e mente nondum omnem spem effugisse publicandorum omnium Ecclesiæ bonorum ; nam et ipse regius orator minimi faciebat jura Cleri, de quibus fastidiose loquebatur. Invenitur enim in verbis ejus imago commentorum, quæ nuper a comitiis totius regni ficta erant : significat ille (2) a clericis ante alios, multas ob causas, publicæ miseriæ succurrendum esse, pontificemque sperat, de cujus consensu omnes suspensi remanerent, haud difficilius rem accepturum ; denique Cleri voluntatem non desiderari, hanc enim cardinales, qui adessent cum optimatibus Ecclesiæ gallicanæ, satis ostendere.

Edictum in tabulas publicas relatum est, atque ministri sedulo celeriterque effecerunt ut valeret. Et quidquid a rege promittebatur in cautionem, quo *jura privilegiaque* dicta *Ecclesiæ gallicanæ* remanerent illæsa, videbatur illusorie datum, ut satis patet ex iis quæ facta sunt. Etenim clericis omnis subtrahebatur (3), quo citius venderentur et majore pretio, facultas in posterum bona

(1) Quæ sequuntur fusius exponit codex curiæ, Arch. nation., X1A, 1605, f^os^ 169-177, et inter cetera, contrahuntur breviter præcipua orationis cancellarii puncta apud *Furgeot* opus jam laudatum, pp. 476-478, in quo ceterum vix perpauca reperi alicujus momenti.

(2) « Lesglise a ete le temps sans possession par quoy ne fault trouuer estrange la vente de portion de bien quant la necessite y est... ne scait cōme le pape le prandra ne quelle sera sa response mays desireroit qu'il ne usast de longueur au mal qui si fort nous poinct... Se promect le Roy que le pape et les evesques le consentiront. » *Ibid.*, f° 173. — Orator primum plurimis verbis quam munificentissime reges semper Ecclesiam ornarint omnibus beneficiis ostendit, ut significet eam nihil habere quod ab illis non acceperit. Tota etiam oratio huc spectat ut auditores, bona sacra conferentes cum regiis bonis tributisque ærario solutis, concludant illa non esse, cum aliqua intercidat necessitas, sacrosancta amplius, neque ideo ab iis abstinendum.

(3) Edictum pluries transcriptum, ut apud Bibl. nat., Fonds fran., in cod. 4.737, f^os^ 120-124, et cod. 13.586, f^os^ 320-323, Cleri etiam inter instrumenta communia typis mandatum est.

redimendi, et omnis via, qua se possent a damnis injuriisque defendere. Denegabatur etiam eis in præsens tempus omnis actio cujuslibet generis in emptores, ita ut qui eam intenderet, ei decernerentur impensæ judicii mulctaque sexaginta librarum; judices quoque, qui eam acciperent, eo ipso munere dejecti declararentur, qui vero mulctam remitterent, eam proprio ære cogerentur restituere.

Syndici totius Ecclesiæ gallicanæ decreto statim intercesserant, sed patronus, qui nomine eorum in senatu, cum perorasset ipse fisci patronus, voluit agere, repressus est, nec verba facere amplius ei permissum est (1). Et cum ipsi perseverarent Syndici, fecit etiam rex aliud edictum, quo jubebat ultra progrediendum esse (2), reclamitantesque eos noluit ad se adire.

Hoc posteriore decreto componebantur iterum omnia, ut pecunia quam primum in ærarium afflueret; nam et emptores pro commodo eligebant ipsi quæ vellent emere, litterasque a ministris in unaquaque provincia regiis obtinebant, quibus possessores vel tenentes eorum locum tabellas illas quam primum et acta publica exhibere cogerentur, quæ statuebant quinam essent domini, quanti æstimarentur res vendendæ. Ab episcopo deligendus erat intra dies octo procurator, qui nomine clericorum cuncta perspiceret, quæ pro venditione agerentur, sed, elapso die octavo, omnia fiebant sine ipsis clericis. Insuper nulla ratio habenda erat cujuslibet intercessionis, vetabatque rex ullum tribunal hujusmodi intercessionem admittere, ut quæ inanis esset et contra legem (3).

(1) « Parmi d'intendere, ch'un avvocato voleva parlare in nome del clero, et che fu impedito, et gli fu imposto silentio », ait orator venetus. Bibl. nat., Fonds italien, tome 1724, f° 60.

(2) Hæc testantur Cleri Syndici in duobus libellis, quos postea, ut se purgarent, miserunt ad conventus clericorum Blœsis anno 1576, et Milòduni anno 1579 convocatos. Vide Bibl. nat., Fonds franç., in codice 15.746, f^{os} 33 et 66.

(3) Hæc omnia referimus, ex decreto die XXVI° maii 1563 de

Quæ mandata non satis esse visa sunt, nec reipsa tutam præstiterunt in agendo, quæ desiderabatur, celeritatem, nam alio decreto paulo post, ad omnes regios judices misso, sancitum est ut emptores scripto tantum indicarent, quæ prædia vellent præconi subjicere, et, si possessor non compareret, emerent illa quanti ducerent æstimanda (1).

Ex his constat in manibus ministrorum regis rem totam fuisse, ipsos vero, ad quos pertinebat eam tractare, cum eorum interesset operi adversari, remotos esse, aut si liceret adesse, tanquam testes admissos qui, omni adempta se tuendi facultate, confirmarent expoliationem Ecclesiæ. Ceterum clerici non poterant negotium tam novum inauditumque non improbare, contraque quantum possent stare. Itaque in quibusdam locis omni difficultate rem ita impedierunt, ut totam longius producerent, et in primis exactionem pecuniæ, quam rex ardenter appetebat. Lutetiæ enim Parisiorum, duo quæsitores ab episcopo delecti, *procuratores* vel *syndici diœcesis* postea dicti, tam acriter se gesserunt, ut a prætorio seu *Chatelet*, in quo licitabantur bona, tandem expellerentur (2).

In concilio regis descripta tantum erat pecunia, quæ in

facienda venditione dato, ad regios huic venditioni præpositos in provincia Parisiensi. Infra Appendix I. Quod videtur idem esse ac illud de quo a Syndicis mentio facta est.

(1) Instruction que le Roy entend et veult estre suyvie et gardée de poinct en poinct par les Prevostz..., en procédant à l'exécution de l'Edict de vente... ; donné à Nantes le 4 juillet 1563. « Ceux qui voudront acheter bailleront par écrit au greffe la déclaration de ce qu'ils prétendront enchérir... Le juge local fera ajourner les gens d'Eglise qu'il appartiendra, afin d'assister si bon leur semble à la vente de ce qui sera enchéri et adjugé... Si les parties ne s'accordent pas, ou si l'ajourné ne comparait pas, la partie acquérante offrira ce qu'elle estime la chose valoir. » Libellus, typis ea ipsa ætate mandatus, reperitur apud Bibl. nation., Imprimés, série F. Législation.

(2) Ex iisdem duobus defensionis Syndicorum libellis, Cod. 15.746, f° 66; videbimus paulo infra quid Lugduni factum sit, in aliis vero locis, parum constat.

singulis diœcesibus erat exigenda, et relinquebatur in potestate ministrorum cujusquam provinciæ munus hanc qua vellent ratione percipiendi, scilicet quæ bona publicarentur constituendi, quo etiam venderentur pretio, quibusve legibus jura dominii transferrentur. Perfacile enim cum emptoribus consentire poterant regii judices, ærarii dispensatores, et coactores pecuniæ publicæ, ut prædia quæque opulentiora commodiorave venderentur. Inde graviora fiebant damna clericis irrogata, quod non semel judices ipsi inter emptores annumerari non diffitebantur, et bona sibi assumebant quibus inhiabant, aut quibus ad continuandos indigebant proprios fundos. Res igitur ita fere decretis regiis componebantur, ut libidine sua uti possent pro legibus ii, penes quos tota posita erat potestas alienandi.

Vidimus enim jam non paucis ex indiciis, quanto pondere essent tunc etiam, maxime apud viros præstantioris condicionis, novæ quæ clericis adversabantur opiniones, et opibus eorum immoderatis. Quæ quidem a plurimis ardentissime appetebantur, et cum nobiles, qui Sectariorum auxilio facti erant audaciores, pinguissima invaderent prædia, non deerant etiam ex medio ordine atque ex divitibus, qui iisdem Sectariis, ut tutiore modo hæc emerent bona, favere non dubitarent. Hanc mentem, quæ in dies invalescebat, maxime incitabat recens regis decretum, eique resistere quis posset, præsertim cum omnia in provinciis, bello recenti perturbatis, emptoribus, ut pro sua se gererent libidine, adjumento essent? Ministri enim, sub impotenti regis adolescentis et externæ reginæ imperio, ad bonum inermes, ad malum expediti ; nec pauci, qui Sectariorum errores susceperant, opinabantur omnia esse licita in clericos, resque eorum proscribendas esse.

Multa igitur, iis ministris, nempe *ballivis*, *senescallis*, fisci curatoribus et exactoribus benigne assentientibus,

fuerant direpta atque perdita. Speculatores autem a Clero delegati, legibus iniquis et omni genere compressi fiscalium molestiarum, dolis involuti, ut ita dicam, malisque artibus, impares erant cohibendis injuriis quibus possessores vexabantur. In aliquibus enim locis prohibiti sunt ii, vi decretorum regis, quæ prave interpretabantur ministri, ad tabularia reponere titulos variaque scripta, quæ « *terriers* » nominabantur, in quibus jura dominii condicionesque servabantur venditionis ; timendum erat ne ope horum scriptorum postea repeterentur a judicibus fundi alienati, neve unquam redimi possent (1).

Decretorum igitur nomine, ministris dissimulanter rem promoventibus, in prædam data sunt multa, et maxima bona, quæ cultui utilissima erant ; itaque visi sunt emptores imitari prædationes, quibus Sectarii jam multa invaserant in Galliæ partibus, quæ ad meridiem obeuntemque solem vergunt. Vendebatur sæpe optima quæque pars latifundorium, quæ in sortem jamdiu venerant canonicis aut monachis (2), nec parcebant patrimoniis optimatum, cardinalium vel præsulum, nisi eorum quibus rex faveret, nam judices, ut fit plerumque, non semel potentioribus

(1) Ita Lugduni factum: « Ont défendu sous peine de prison dauoir terriers et valeur réelle du domaine vendu auprès du greffier de la senechaussée. » Vide in Archives départementales du Rhône, Fonds du chapitre de Saint-Jean, Délibérations capitulaires, cod. LII, f° 477.

(2) Omnia quæ jam exposuimus luculenter testatur orator venetus, in his duobus præclaris locis : « Essendo stati presi i luoghi migliori, per facilitar le venditioni, hora si ritròva esso Clero interessato molto più di quello che sarebbe stato, quando si fosse fatta la comparatione con qualche moderatione. » Et : « Questa venditione, per quanto intendo è stata fin alla somma di duo millioni et mezzo di franchi, il qual denaro è stato assai poco rispetto ai fondi alienati, et queste vendite sono passate con tanto disordine che il Re, et il clero ne ha patito molto, oltra che del tratto Sua Maesta ne venira vi in assai nuevo, perchè ogn'uno se ne fa la parte a suo modo comprando et non sborsando il denaro ». Ex litteris 3ⁱ novembris et 27ⁱ decembris 1563, Ambass. venit. in cod. 1724, f^{os} 160 et 186.

indulgere debuerunt. Quidam autem ex emptoribus dimidiam partem prædiorum quæ emerant tanti vendiderunt quanti totum solverant, unde innumeræ lites erant orituræ (1); quidam, cum potentiores essent, nullam vel parvam impenderunt pecuniam; aliis etiam rex pinguissima donavit (2). Sic principi Condæo, qui maxime omnium Sectarios ad bellum incitaverat, nonnulla in provincia Veromanduorum cui præerat a rege fuerant adscripta; quibus postea pretio restitutis, pecuniam sibi solvi postulavit, quam in reficiendis illis impendisset, et Cleri procuratores diuturna lite cum eo contenderunt (3).

Parum curaverunt etiam sæpenumero perturbatores illi, quæ pars pecunia cuique provinciæ a concilio regis definiretur, sed ter quaterve etiam tantum bonorum publicaverunt quantum præceptum erat, ita ut pecuniæ summa, quam collegerunt, eam multum superaret, quam rex se accepturum sperabat. Juxta rationes ab argentariis regiis constitutas, qui duodecim tantum francos pro uno fenoris, ob temporis incommoda, statuerant, bona vendenda erant ad sexies et tricies centena millia francorum; at legimus in decreto januarii 1563, quo rex bona redimi permittebat (et hoc quidem testatum a clericis princeps verum esse non negabat, ut quod scriptis publicis ostenderetur), publicata fuisse ad ter et octogies centena millia francorum! Quæ superfuerunt, persoluto regi tributo, publica provinciarum in mensa remanserunt, aut ad quemlibet usum pro

(1) « Par che habbiano a seguire molti garbugli et liti, perchè molti hanno comperati di questi beni, et hanno poi rivenduta la meta di essi per quella somma, che costa loro tutta la portione; onde parera strano a restituire il denaro, et i luoghi. » *Ibid.*.

(2) « Intendo che il principe di Conde ne ha havute per ducento mille franchi, quello che val quattro cento mille, et ha havuto anco quitanza del Re delli ducento mille senza pagamento alcuno et cosi altri. » *Ibid.*, in cod. 1725, f° 186.

(3) Illa causa frequentissime refertur inter res levioris momenti, de quibus agebatur in conciliis totius Cleri. Ex *Procès-Verbaux du Clergé*, Paris 1767, in-f°, tome I, passim.

judicum quæstorumve arbitrio sunt usurpata, ut ad redimendum agrum publicum, aut solvendam fisco creditam pecuniam. Non pauci viri, qui humilis erant condicionis, divites facti sunt, vel, opibus adauctis, cum titulos pecunia nacti essent, inter nobiles relati sunt.

Rex ipse multum aberat quin parvum lucrum ex iis furtis faceret ; scimus enim eum ter et quadragies centena circiter accepisse millia francorum, quæ pecunia eam, de qua videbimus illum cum clero convenire, undecies centenis millibus superabat. Quod autem supererat, se debere quidem confessus est, sed debitum nunquam solvit, etiamsi clerici omni modo conarentur illud recuperare (1). Immo alia commoda quæ, ipso inscio vel consentiente, a ministris allata sunt, quibus præsertim ejus corroboraretur auctoritas aliorumque jura imminuerentur, non omisit. Iis enim temporibus sublata est pretio triginta millium francorum ea « *justice haute, moyenne et basse* », quam a longo tempore Lugduni archiepiscopi exercebant (2). Nec in dubium venire potest quin in multis aliis locis simili modo actum fuerit. Hoc vero jus episcopi lugdunensis in pristinum statum cum aliis bonis non fuit restitutum, nec pariter quidquid in commodum venerat auctoritatis regiæ, sed principis mandato (ne plura dicam) pronunciatæ sunt agro publico iterum jungendæ partes illius agri, quæ pretio venditionis erant redemptæ.

Ceterum nolit lector putare me injuriam auxisse, nam clericis revera sunt illata permagna detrimenta, eo præsertim quod sæpissime pretio longe inferiore vendita sunt

(1) Ex eodem opere, passim.

(2) Ut comprobatur multis instrumentis ; inter alia Bibl. nat., Fonds franç., cod 18.156, ex tabulis concilii privati regis, f[os] 118, 158. Hoc tamen jus feudaticum, illo anno 1563 venditum, non fuit inter res decreto alienandas annumeratum, sed seorsim publicatum, ut dilucide exponit auctor qui typis mandavit opus *de Nicolay, s[r] d'Arfeuilles* dictum : *Generalle description de l'antique et célèbre cité de Lyon*, *in-4°*, *Lyon* 1881, *pp. 129-131*.

bona, et nonnunquam infimo, ut cumulatissime confirmatur ex iis quæ postea facta sunt. Cum enim Ecclesiæ negotiorum curatores per multos annos expostulassent, ut bona isto modo publicata a dominis, soluto pretio, reciperentur, Henricus rex tertius, edicto mense 1586 februario dato, postulationi concessit, statuitque ut bona, quorum pretium tertia saltem parte imminutum esset, reciperentur, dummodo eorum qui emissent impensæ compensarentur. Minime enim erat curandum pactiones quæ fraudibus non exiguis corrumperentur, cum aut festinantius, aut omissis legitimis condicionibus, aut dolo consensuque iniquo confectæ essent : « Considerant, aiebat rex, qu'esdites ventes et aliénations s'étoient commis plusieurs abus, et que beaucoup de ceux qui en ont fait les acquisitions, les ayant les uns précipitamment poursuivis, les autres par faveur et intelligence, et sans observer les solennités en tels cas dues et prescrites par nos ordonnances, se seroient fait adjuger à vil prix, ainsi que bon leur a semblé, aucunes desdites parts et portions dudit domaine, tellement qu'il se trouve qu'en quelques-unes desdites ventes l'Eglise souffre autant ou plus de perte et dommage qu'il n'en est venu de profit et commodité à nos affaires. . . . . (1) »

Hæc omnia præter leges divinas et adversus clericorum jura, non brevi tempore, sed diuturno, et fortasse per aliquot annos, sunt commissa ; num aperte decretoque inhibita sint, ignoramus, at certe clerici, cum multum repugnarent, hæc sustulerunt, et curaverunt omni ratione ne bona amplius dissiparentur. Sectarii ante alios audacter licentia usi sunt, qua rex permittebat decreto violentam manum in res sacras injicere, atque latrocinia rata esse voluerunt quibus, in provinciis non paucis, plurima prædia invaserant. Ex annalibus enim hujus ætatis,

(1) Edictum refertur in opere cui titulus : *Mémoires des affaires du Clergé*, in-4°, Paris 1780, tome IX, col. 1398.

compertum habemus illos inter judices etiam irrepsisse, quibus cura publicandorum bonorum demandata erat, et a clericis libellum in comitiis, quæ Blœsas anno 1576 convenerunt, principi datum esse, quo postulabatur ut illos de numero judicum depelleret.

Hac in perturbatione rerum sacrarum, quæ sequebatur ex bello civili, cum multis circumdarentur clerici hostibus, et ab illo ipso derelinquerentur, rege scilicet, qui dicebatur Ecclesiæ tutor et defensor, ne Summi Pontificis quidem in se convertere poterant oculos. Pius enim papa IV, cum major pars cardinalium censerent nunquam, etiam ob necessitatem, alienanda esse sacra, quia tamen multas ob causas res in varias et diversas partes duci posse videretur, diu protraxit sententiam noluitque controversiam dirimere (1). Ipsi tamen clerici res suas non omittebant.

Scimus jam quam acerrime se gesserint Parisienses, quod maximam certe pecuniæ summam sæpe indigenti regi præbuissent. Duo vero Syndici, postquam a rege repulsam acceperunt, de qua supra diximus, cum non haberent amplius potestatem ea quæ jussi erant peragendi, ad clericos provocarunt provinciarum ; jusserunt ergo mitterentur oratores qui viderent quomodo resisti posset. Qui mense septembri 1563 congregati sunt ex LII diœcesibus, et alios quatuor syndicos creaverunt.

Quæ jam vendita erant, bis et amplius centenis millibus nummorum æstimabant (2), et prævidebant, dum ministri persequerentur negotium uti inceperant, fiscum

(1) Nempe videas oportet quam longa cardinales consilia inter se communicarent, apud *Acta* XVI[i] *sæculi consistorialia*, in Bibl. nat., Fonds latin, cod. 12,560, f° 41 et seqq. die IX° junias 1563 ; nec amplius tamen res in codice reducitur iterum agitata.

(2) « Fin'hora ne sono venduti per qualche centinara di migliara di scudi ; se si continuara a vendere come si è cominciato, cavera Sua Maestà Christianissima molti miglioni di scudi. » Ex litteris oratoris veneti 3[i] novemb. Fonds latin, cod. 1724, f° 160.

plus quam vicies centena millia accepturum esse. Congregati igitur clerici tricies centena millia francorum principi obtulerunt, sed cancellarius, quod non possent hæc statim persolvi, pactionem, prætensa urgenti necessitate, explosit; itaque conventus sacer re infecta dimissus est (1). Sed cum inter legatos et regem de condicionibus non convenisset quibus, certa soluta pecunia, redderentur res alienatæ, nec amplius aliæ venderentur, auctoritas summa Syndicis demandata est, qua possent negotium conficere.

Illi igitur rem susceptam eo facilius, immo fortius persecuti sunt, quod alii semper legati, ex aliis provinciis venientes, potestatem novam confirmabant et augebant (2). Multi enim, cum e locis maxime diversis essent, communiter facultatem poscebant repetendi res venditas, atque statuendi legibus certis firmisque quanta pecunia regi solvenda esset. Immo, quod majoris erat momenti, præter alias vias, quibus negotium peragi posset, jam non omittebatur potestas vendendi, non pro voluntate regis arbitriove ministrorum ejus, sed ad commodum Cleri, bona, ut dicebatur, *communiora*, *minus utilia et exoleta*, quorum pretio amissa redimerentur.

Hoc enim mentem omnium paulatim subibat, res Ecclesiæ, quæ vitam, decus potentiamque ejus multum spectabant, a solo Clero curandas esse; sed cum hæc facultas alienandi nova esset, atque magnum periculum in posterum afferre posset, non solum regis, sed Summi Pontificis con-

(1) *Ibid.*, f° 154, die 7° octobris.

(2) Hæc, exempli causa, dicebant præsul et clerici Lugdunenses Petrum de Pinac mittentes et Alexandrum Vercelly. « Ont tout pouvoir de se présenter devant Sa Majesté et ailleurs pour faire toute protestation, remontrance des pertes, ruines, démolitions supportées durant les derniers troubles, pour faire telle autre offre qu'il sera advise par lesdicts procureurs avec plein pouvoir de composer, contracter, etc. » Sequitur formula potestatis 21° die octobris 1563 data, et libellus in quo erant quæ a rege peterentur. *Délibér. capit.*, in cod. LII, f^os^ 478-488. Fusius in memoriam vocant jura et privilegia jamdiu a principibus concessa, totiesque confirmata, inter quæ refertur immunitas ab omni tributo.

sensus ante omnia clericis requirendus erat. A jure quidem totius Ecclesiæ, quod jubebat perscrutari primum quid vellet Papa, dissentiebat consuetudo Galliæ, sed, etsi in offensionem cadebat quidquid oriebatur ab externis populis, nihil in re maximi momenti legitimum esse videbatur, nisi firmaretur summa pontificis auctoritate. Clerici igitur censuerunt auxilium ejus pernecessarium esse, ut caverent a regis ministrorumque libidine.

Cum rege syndici, omnium fere freti potestate, facile primum de re consenserunt. Is enim spopondit se non amplius quam bis et tricies centena millia francorum exacturum esse, nam hanc summam ex publicandis rebus ad argentariorum rationes cogi posse, solutis etiam impensis, prævisum erat. Quo pacto, mense januario 1563 edixit (1) ut clerici possent, pretio rerum aliisque emptorum expensis juste compensatis, bona vendita in pristinum reducere statum, dummodo id in anno fieret, qui a primo die sequentis mensis inciperet. Ad quod perficiendum ratione qualibet uti licebat, nova etiam venditione, ita tamen ut venales proponerentur paucæ tantum res minus commodæ, vel viliores. Coactores fisci tandem, ut æquum erat, jubebantur pecuniam, quam e jam venditis bonis retinerent, in manus eorum quorum intererat quamprimum restituere.

Res hoc modo composita sine mora incepta est. Etenim rex statim operam dedit ut in proprio Concilio, quæ sibi solvenda esset, pecunia per provincias describeretur : hæc descriptio ad dominos beneficiorum, seu *beneficiarios*, tantum pertinebat, quibus ex priore edicto venditionis pecunia erat imperata. Mandatis vero, quæ de illa perficienda mittebantur ad singulos episcopos, sanciebatur (2) ut eligerent varii in unaquaque

(1) Edictum in opere jam laudato *Mémoires du Clergé*, *ibid.*, col. 1375-1383.

(2) Horum mandatorum habemus exemplum, ad cardinalem

diœcesi ordines sacri sex clericorum concilium, illique omnia permitterent, sive pecuniæ ex condicione beneficiorum descriptionem, sive exactionem, sive bonorum recuperationem amissorum. Nova vero alienatio, si qua facienda, judicibus novis, quippe cum suspecti essent qui priora vendidissent, commissa est. Hæc statim suscepta sunt, nam videmus in multis locis beneficiarios a concilio procuratorum in diœcesi delecto flagitare facultatem certa publicandi bona (1).

Ex mandato jam laudato, episcopi poterant etiam adversus clericos imperata negligentes vel eis repugnantes agere, aut saltem auctoritate propria quæ statuerentur a procuratoribus locorum exsequi, omnibusque præsidere quæ a coactore pecuniæ administrarentur. Controversiæ vero litesque, sicut prævisum erat in priore venditionis edicto, præter Curiæ Parlamenti vel cujusvis supremi tribunalis judicium positæ, Concilio regio servabantur. « *Desquelles oppositions*, dicitur in mandato, *avons retenu et réservé à nous et à notre conseil la congnoissance, et icelle interdite et défendue à toutes noz cours de parlement, d'aydes et autres noz juges et officiers.* » Revera non ita factum est propter maximam rei difficultatem. Decreto enim januarii, concessum etiam erat ut Clerus quibusdam committeret quidquid generatim pertineret ad venditionem, eoque modo rata ab ipso rege, quod iis solum deerat, habita est Syndicorum potestas (2). Mox igitur totam ad se rem traxerunt, nam non solum operæ pretium

Turnonium, præsulem Lugdunensem, 2° martis die 1563 missum, in Archiv. nation., G8* cod. 1236.

(1) Pro Parisiensibus saltem clericis hoc compertum habemus ex tabulario cleri dicto, *Agence du Clergé* seu Archives nationales G8*, cod. 1203, n° 66, seu annales procuratorum diœcesis.

(2) « Lesdits du Clergé pourront élire un ou deux Syndics pour la poursuite et sollicitation ordinaire de leurs affaires concernant ledit rachat et aliénation, circonstances et dépendances seulement. » In fine edicti.

erat omnia in commune bonum ab iis conferri, sed etiam in ministros inquiri legum contemptores, delinquentes ad tribunalia trahi, pecuniamque repeti perditam. Sin aliter irrita fiebant omnia, et Cleri cura laborque, ministris omni modo rem impedientibus, facile perire poterant.

Illi enim nihil remittebant : immo inter se consentire visi sunt, veteribusque novi connivere. Priores enim specie absolvendi quæ incepta erant, non abstinebant quin alias res publicarent, instrumenta quæ spectabant ad prædia jam alienata, immo totam ad se retinebant, aut partem pecuniæ insignem, et quanquam, decreto eodem januarii, jussi erant intra mensem ad Syndicos profiteri, ad quam summam pro sua quisque parte publicassent, nonnisi imperfectissimum, et inviti quidem, tradiderunt hujus publicationis indicem. Omnis insuper generis impedimenta ab iis per multos menses interjecta sunt, ut patet ex annalibus Syndicorum, et, quidquid ii conabantur, quæ statuta erant a rege ut clericorum res allevarentur, onera graviora facere videbantur (1).

Non est quod multis moremur, et satis ex iis quæ mox dicemus, patebit tam contumacia illorum, quam aliis incommodis quæ ex ipsa re nascebantur, nova præscripta regis, quæ quidem in commodum essent clericorum, diu irrita ramansisse. Sed totius procuratores Cleri Gallicani, ad laborem semper invicti, novo quotidie jure potestatem augebant; nempe impetrarunt ut ipsi, nulla appellatione admissa, summa auctoritate cognoscerent omnia quæ venditionem attingerent, quæ etiam supremis tum servarentur tribunalibus (2); insuper, ut coactores publi-

(1) De his et quæ sequuntur, vide litteras unius ex Syndicis, Caroli Ailleboust, qui res Cleri tuebatur in aula concilioque regis, 17° septemb. 1564 datas, et apud *Agence du Clergé* in cod. 1203 transcriptas.

(2) *Lettres distributives de juridiction sans appel pour juger tout ce qui concerne l'aliénation, et ce qui en dépend*, dicitur in iisdem litteris. Hujus autem instrumentum potestatis, 14° augusti 1564

cis in instrumentis pecuniam, quam non professi essent ministri, confirmarent. Et cum ii, multa inter alia, contenderent rem confici non posse, quin emptores in posterum ab omni repetitione tuti remanerent, non semel maxima Syndici obtestatione postulaverunt ut Romano Pontifici sua ipsorum potestas probaret, sicut et tota res quam susceperant.

Rex autem, pro sua parte, propriis litteris precibusque reginæ parentis non defatigabatur de re eadem sollicitanda (1); nam cum, ex consuetudine jam a majoribus accepta, nullum a Clero tributum, nisi consentiente Pontifice, unquam exactum fuisset, negotium in suspenso totum remanebat, et emptores, ut ipse princeps fatebatur (2), timere poterant ne, donec Summus Præsul illam confirmaret, de possessione deturbarentur. Scimus præterea semel saltem a Syndicis hanc supremam auctoritatem obtestatam esse (3).

Incassum diu missæ preces ; etenim pontifex, acceptis tot litteris, primum rem ad cardinalium detulit collegium, et die V° augusti 1564, cum ex multis locis referretur majorem bonorum publicatorum partem ab emptoribus, qui novis faverent religionibus, retineri, consilium fuit rem longius

datum apud Fontanon, *Edits et ordonnances des Rois de France*, in-f°, Paris 1585, tome II, p. 1274.

(1) « Tam Caroli regis et Cleri præfatorum quam etiam carissimæ in Christo filiæ nostræ Catharinæ reginæ precibus, per litteras et nuncios frequenter excitati », ait Papa in Bulla, de qua postea dicemus.

(2) « Joint, que sans le bref de N. S. P. le Pape, de son congé et consentement n'a guères seulement obtenu, les acheteurs du temporel eussent fait difficulté y entendre pour leur sûreté à l'avenir. » Verba ex decreto 29' diei decembris 1564 prolata.

(3) Vide apud *Agence du Clergé*, *ibid.*, in cod. 226, cui titulus *Causes relatives aux décimes plaidées devant les Syndics généraux*, in quo relatum est quidquid in diem agebant Syndici. « Le lundi 17 juillet (1564) ont décidé decrire aux representans du Roy a Rome de solliciter lautorisation de vendre les heritages moins dommageables pour racheter ceux qui ont este venduz, de même au Pape. »

duci ut maturius deliberaretur (1). Sed cum urgens et evidens necessitas reique postularet magnitudo (verba sunt bullæ de hoc negotio missæ) ne amplius remaneret infecta, Pontifex, cum diù cunctatus esset, litteras ad cardinales nonnullosque Cleri primores die XVII° octobris scripsit quibus, omissis plane ut irritis quæ patrata essent regis vi decretorum, jubebat illos ipsam potestatem Sanctæ Sedis adhibere, atque quacumque possent ratione nummariave ope uti (modo tamen bona non alienarent nisi extrema necessitate, omnique alia ratione impare, coacti essent), ut pecuniam colligerent quæ rebus redimendis satis esset (2). Videbatur Pontifex, ex eo quod verba solenniora, quæ jus præbebat ususque litterarum tabularumque publicarum, congesserat, rem strictis verbis exprimere, ut omnis injuria cohiberetur.

« Mandamus, aiebat enim, ut, universum præfatum negotium ad audientiam et sollicitudinem vestram revocantes, de dicto Clero, ac bonis eorumque vero valore, necnon taxationibus, perscrutemini, si ex fructibus per collectas aut locationes, seu concessiones bonorum in emphiteosim etiam perpetuam, vel pignorationes, seu bonorum mobilium minus utilium distractiones, aut alias omnino rationes quam bonorum immobilium hujusmodi venditionem, pecuniarum summa ad præmissa necessaria confici et exigi poterit, ut hoc fiat auctoritate nostra curetis. Verum si statui ecclesiastico his rationibus suc-

(1) Duplici testimonio referuntur hæc, si non iisdem verbis, at certe iisdem rebus, quorum unum apud Baronium, *Annales ecclesiastici*, quos Theiner typis mandavit et prosecutus est, Paris. in-f°, tome XXXIV, p. 463 ; alterum vero quodam a scriptore consistorii datum, apud Bibl. nat., Fonds latin, in Actis jam laudatis, cod. 12.560, f^os^ 214, 215.

(2) Bulla multis in locis invenitur, ut apud *Mémoires du Clergé*, tome IX, col. 1243-1249 ; videtur scripta esse Galliæ episcopis, ut fidem faciunt prima verba : « Dilecti filii nostri et venerabiles fratres », vel potius ad cardinales, Syndicos aliosque Cleri primores, qui versabantur apud regem, vel in concilio ejus sedebant.

curri nequeat, sed remedium prædictum prosequi cognoveritis expedire, super quo conscientias vestras in Domino oneramus, vobis omnes et singulos archiepiscopos aliosque de dicto Clero a juramento per eos de non alienandis possessionibus et proprietatibus Ecclesiæ, inconsulto Romano pontifice, ac alias quomodocumque præstito, ad effectum præsentium dumtaxat, absolvendi bonorumque venditiones, non tamen castrorum et aliorum locorum temporalem jurisdictionem et vassalagia obtinentium, eadem auctoritate approbandi, tenore præsentium facultatem concedimus; necnon archiepiscopos singulasque personas dicti Cleri tam conjunctim quam divisim ad præstandum consensum, ac concurrendum taxationibus et collectis, cæterisque omnibus præfatis, per censuras et pœnas ecclesiasticas, omniumque proventuum distractionem et auxilii brachii sæcularis invocationem compellendi plenam facultatem vobis similiter indulgemus. »

Habemus hic quasi exemplar, ad quod omnia deinde composita sunt, quidquid de hac materia bonorum sive a pontifice sive ab optimatibus Cleri præscriptum est. Hoc primum extra dubium ponitur, ut præceptum omni religione servandum, res sacras non æstimatione, neque pretio emi posse, nisi propter urgentem necessitatem, qua modo quovis teneretur Ecclesia, quæ ceterum aliter non posset superari, pontificis autem solius esse de hac necessitate cognoscere. Ubi igitur pecunia clericorum opus erat civitati, qualibet alia ratione quærenda erat atque publicatione bonorum; ubi vero cogebat necessitas res vendi, nunquam tamen licebat alienari prædia præstantiora, jurisdictionem temporalem seu feodalem obtinentia.

Insuper, quanquam Pontifex consulto ea quæ facta erant omittebat, hoc ipso legitima fiebant, quod negotium inceptum illius auctoritate prosequi poterant clerici, dum nullum aliud esset consilium. Nonnisi irritis pactis

bona fuerant emptoribus tradita; itaque veteres domini debebant res amissas recipere, quin illi contradicerent; pretium autem repeti non poterat, nisi a rege, cui in usum cesserat. Sed cum is pecuniæ solvendæ prorsus impar esset, licentiam dabat pontifex ut ei pretium illud in modum tributi, vel potius doni quod dicebatur gratuitum, clerici remitterent, et aliam insuper quærerent pecuniam, qua resarcirentur emptorum impensa bonaque reciperentur. Eo modo Clerus bis pretium solvere tenebatur, quod etiam, ut vidimus, ad optatum finem perducere difficile erat; multa igitur bona in manibus emptorum remanserunt, non tam culpa clericorum quam aliorum pervicacia.

In perturbatione enim rerum omnium, Syndici adversus ministros judicesque semper repugnantes potestate recens accepta, fortasse imperite, at certe non impigre utebantur. Et cum ex beneficiariis, alii multo plura, alii pauciora, quam definitum esset in alienationis tabulis, amisissent, alii, licet in iis inscripti, nihil vendidissent, hoc erat Syndicorum munus, in quo totus jacebat labor, ut restitueretur in unius cujusque condicione decus et dignitas Ecclesiæ, scilicet, ut qui plurimum perdidisset, ab aliis adjuvaretur, ut viliora venderentur ad recuperanda pretiosiora. Tabulas igitur scripserunt Syndici quibus, rerum alienatarum summa pro unaquaque diœcesi sedulo definita, singulis indiceretur quid pro nummaria condicione solverent vel acciperent (1). Supererat ut in provinciis procuratores clericorum, cognita pariter unius cujusque beneficii condicione, idem facerent, atque omnia fere secundum mandata IIi Martii 1563 diei jam laudata disponerent, alienarent tandem quæ opus essent.

(1) Illæ tabulæ, die 7° aprilis ante Paschæ festum (ut dicebatur ad veterem numerandi modum) 1564 datæ, non remanserunt, sed reperiuntur in *Agence du Clergé* cod. 1356 accepti et expensi tabulæ, quæ totam rem satis aperiunt.

Hæc etiam pulchre sancita non idonea fuerunt, quæ cohiberent judicum facinora. Duos enim annos illi pervicacius alia bona vendiderunt, et adeo immodeste, ut rex Carolus his verbis eorum increparet pertinaciam : « Partie du surplus (id est pecunia e publicatis collecta, quæ tributum excurrebat principi promissum) destiné pour les rentes qui doivent être fournies audict Clergé (1), a été employé par les trésoriers de France et receveurs généraux de nos finances, partie au rachat d'aucuns membres et portions de notre domaine et aides, quelque partie en frais faits pour la recette, port de deniers et reddition des comptes desdits receveurs ; et encore est une bonne somme provenant d'icelle aliénation demeurée es-mains desdits receveurs généraux, sans que lesdits du clergé ayent *aucune chose reçu* desdites rentes ». Hæc dicebantur XI° die julii 1566 (2), tertium annum postquam res incepta est ; ex quibus satis constat clericos nihil etiam tum profecisse !

Ter igitur coactus est rex ut edicto facultatem prædia redimendi amissa, seu diem finitam prorogaret, qua elapsa non amplius repeti possent (3). Ministri enim non parvam pecuniam retinebant, necessitatem boni publici excusantes, et ipse princeps non desistebat ab ære ad proprium usum sumendo. Minime saltem celari poterat quantam pecuniam ærarium accepisset, nam, rogantibus Syndicis,

(1) Non constat quæ sint illi reditus, nam decreto januarii 1563 jubet tantum rex Clero reddi pecuniam ab ærarii curatoribus retentam.

(2) *Mémoires du Clergé*, *ibid.*, col. 1387. Jam in edicto 29ⁱ decemb. 1564 dicebatur : « A quoy n'auroit été jusqu'ici encore entièrement satisfait par la négligence, ou plutôt collusion et intelligence d'aucuns de nos receveurs, qui contre nos vouloir et intention ont reçu les deniers de la recette qui devaient être assignés aux beneficiers à qui on a vendu ». Æs illud in reditus redactum est ex eodem decreto julii 1566.

(3) Vide tria decreta 29° dec. 1564, 11° julii 1566 (in quo reperimus pleraque quæ dicturi sumus) et 14° maii 1567 diebus data, apud *Mémoires du clergé*, *ibid.*, 1384-1395.

missus fuerat unus e Concilio regis, qui de illa in Camera computorum (Chambre des comptes) inquireret (1). Sed ad quid? Confitebatur enim Rex se pecuniæ imparem esse reddendæ, etiam quæ ministrorum imprudentia (pulchrum verbum) detracta esset (2), sperabatque clericos facillime sibi pretium bonorum perditorum missuros esse, bonaque ipsa non gravate redempturos.

His de causis, ex una parte, publico agro decernebat iterum adjungenda esse prædia, quæ ab eo antea distracta a suis ministris redempta essent ex ære sacro, et pro pretio statuebat fenus de publico solvendum ; ex altera parte, concedebat ut Syndici, cum non satis esset pecunia quæ, ut diximus, inter diœceses pro portione descripta esset, aliam, quæ necessaria esset ad perficiendum negotium, ab argentaria Parisiensi mutuarent, et in annua mutarent vulgo *rentes sur l'Hôtel de Ville* dicta.

Quid plura? Syndicis eodem decreto renovata augebatur potestas summa in omnes Ecclesiæ Gallicanæ clericos, omniaque eorum bona, ubi ageretur de controversiis, quæ circa res venditas orirentur inter illos et quoslibet viros. Sed eis non videbatur satis magna esse cautio facultas a rege concessa, nolueruntque mutuari pecuniam, quin ad hoc licentiam a Clero totius regni accepissent, ut saltem indicarent hujus esse solius, ex veteri consuetudine Ecclesiæ, de rebus omnibus decernere. Non pauci igitur dati sunt libelli, quibus provinciæ syndicis omnia permittebant : his freti, duplicem pactionem illi statuerunt cum Parisiensium ædilibus (3), mutuataque ad octingenta et

(1) Ex decreto 11' julii, *ibid.*, col. 1388

(2) « Connaissant à présent notre impuissance et faute de moyen de leur faire remboursement, et bailler assignation des deniers prix et levés d'eux par l'inadvertance de nos officiers...» *Ibid.*

(3) Vide has pactiones, cum libellis adjunctis, apud Archiv. nation. X1A, seu *Tabularium rerum in Curia Parlamenti perscriptarum*, in cod. 8.626, f°s 386-411, 23° die octob. 1566, et 532-562, mense aprili datas ; hæc renovata est cum aliis insuper libellis,

quadraginta millia francorum pecunia, rem totam auxilio quorumdem Cleri optimatum perfecerunt, nam rationes pecuniæ inter diœceses descriptæ, a præsulibus primoribusque Ecclesiæ Gallicanæ 3° die decemb. 1567 congregatis, aliæ vero anno tantum 1570 sunt obsignatæ (1).

Procuratores igitur Cleri non parvo nec brevi labore conati sunt ut rem conficerent, nec tamen omnino cecidit ut voluerunt. A ministris, quos rex (nam et hoc decretis promiserat) misit ut inspicerent quid in detrimento Cleri factum esset, paulatim injuriæ compressæ sunt, et ministri regii desierunt tandem bona sacra publicare (2); sed multum abfuit quin omnia prædia resque amissæ restituerentur, et in comitiis Ecclesiæ Gallicanæ, immo quolibet tempore opportuno, et sæpissime, rogatum est ut illa repeti possent adversus dominos injuste retinentes (3). Debiles hujus ætatis principes non ii erant qui jura

mense junio, *ibid.*, 563-575. In *Agence du Clergé* pauca relata sunt acta de bonis recuperandis, exempli causa codd. 1203, 1236, etc.

(1) Ut testantur subscriptiones ad calcem cod. 1556 fidem facientes, et codex 2.846, *Inventaire officiel des Archives du Clergé*, f° 42.

(2) « Commettrons et députerons commissaires avec tout pouvoir pour faire rétablir les dites parties ainsi que de raison. » In decreto dec. 1564, apud *Mémoires du Clergé*, *ibid.*, col. 1391. — « Sur le rapport et information faites à la requête du syndic du clergé de France et par commission du Roy, tant par le s^r de Cheverny, maître des req^tes ordinaire de lhostel, que par le vicomte dauge sur les abuz, malversations, concussions et exactions commisses par les commissaires deputez par le Roy pour la vente du temporel des ecclques, et autres articles baillez par escript par led. syndic... ledict dancel a ete cite a comparaître dans 8 jours devant un commissaire du Parlement de Rouen, et son complice pris au corps quelque part qu'il se trouve, pour leur faire et parfaire le proces criminel, ensemble tous aultres qui se trouveront chargez des cas dont est question, jusques a jugement definitif ; pour ledict proces instruict et mis en estat de juger, en advertir sa majeste, afin de commettre juges pour le jugement. » In tabulario Concilii regis ad 2um diem novemb. 1566, Fonds franç., cod. 18.156, f° 190 v°.

(3) Saltem ad annum 1702; vide varia decreta regum in *Mémoires du Clergé*, tome IX, col. 1407-1499.

Ecclesiæ in Sectarios tuerentur, perturbataque diu remanserunt et partim dissipata bona, destructa vel dispersa dominii instrumenta, quæ possent ad illa repetenda invocari, nec facile refecta sunt, quidquid ad hoc juberent præsules, capitula vel comitia publica Cleri (1).

Otiosum est laborem Cleri procuratorum amplius persequi, nec increpandi sunt quasi immoderate egerint, rationem nullam habentes angustiarum in quibus versabatur res publica. Quæ enim evolvimus (nec operæ pretium fuit exponere quot quantaque bona Sectarii multis in locis invaserint), non multum cum illis motibus discrepabant omniumque rerum perturbatione, in quibus principes et populi, causam interponentes potentiæ clericorum comminuendæ, vel corrigendæ vitæ, variis tum in Europæ partibus bona eorum diriperent et sibi adscriberent. Illa vero quanto in favore essent apud præcipuos gallicæ gentis viros jam vidimus.

Hanc autem rationem agendi, ut decretum adimpleretur, Sectarii quasi excusationem prætendere potuerunt, ut affirmarent se non injuste, si quædam diriperent bona, sed juste agere. Rex vero omni opera contendebat ut pecuniam suis impensis inveniret necessariam. Pontifex ipse non prohibebat, nec Clerus denegabat quin ex Ecclesiæ prædiis illam erogaret, præsertim cum de juribus sacris, de cultu, de vita clericorum ageretur ; hoc tamen longe a ministrorum incursionibus aberat ; illud enim quodammodo concedendum erat, hæ contra prorsus cohibendæ.

(1) Capitulum scilicet S. Joannis Lugdunense decem annos et amplius elaboravit, ut bona sua, quæ Sectarii pervastaverant, regis etiam imminuerant exactores, reficeret, et sæpe tabulas seu *terriers* jussit restituendas, ut videmus in *Délibérations capitulaires*, codd. LII-LIX, etc.

PARS SECUNDA

QUA RATIONE FACULTAS ALIENANDI QUIBUSDAM CLERI PRIMORIBUS A SUMMO PONTIFICE PERMISSA, AB ILLIS INSUMPTA SIT (1568-1575)

Nunc compertum e jam dictis habemus necessariam fuisse publicis rebus, propter bella sacra quæ tum sæviebant, pecuniam Cleri ; ex altera vero parte, quanto labore clerici desudarent, ne violarentur *jura privilegiaque* dicta *Ecclesiæ gallicanæ,* maxime quæ vocabatur *fiscalis immunitas* seu a quolibet tributo. Nondum omnino destitit princeps, ut videbimus, invadere in clericorum fortunas, sed servabantur saltem formula juris et ratio a Summo Pontifice præscripta, a quibus in hac etiam iniquitate rerum non prorsus abstinendum erat. In potestate enim pontificis erat alienationem pro necessitate urgenti concedere : clerici tamen, injuriarum memores præteritarum, non voluntati ejus sine ulla exceptione sunt assensi, sed cum nollent ullam rem vendi quin annuerent, omni vi enisi sunt ut a rege et pontifice incepta nonnisi suo consensu perficerentur, deinde loco venditionis alia usurparetur ratio solvendi, denique totam rem in manu haberent : qua via sublata est mala rerum Ecclesiæ dissipandarum consuetudo.

Ex annalibus hujus ætatis, scimus Sectarios sequentibus annis, post ea quæ narravimus, minus formidandos fuisse, et ipsos fautoresque eorum omnem potentiam amisisse, a Concilio etiam regis fere depulsos, aut saltem

in illo non amplius benigne sicut antea fuisse auditos. Consilia Ecclesiæ Cleroque perniciosa jam regem pene offendebant ministrosque, ut in invidia essent, nullaque veniebat in mentem principis spes bonorum alienandorum, nisi recta via consensuque Pontificis. Ceterum bella in hostes veterum sacrorum producebantur et invalescebant ; inde quidem surgebat nova causa vendendi, validior immo, sed non urgebat adeo necessitas ut præoccuparetur ille consensus : prius igitur Rex supplex, ut ita dicam, petebat moramque ferebat patienti animo. Pius vero Papa quintus, recens ad Apostolicam Sedem evectus, studio servandæ Ecclesiæ impigro plane paratus erat ad concedendum quidquid postularetur, et multa quidem revera concessit, ut patet ex annalibus Ecclesiæ (1) ; parumque abfuit quin rex Carolus reginaque parens temporis opportunitate quasi intemperanter uterentur.

Occurrebat igitur occasio nova rerum publicandarum, qua nihil tum, ut jam diximus, expeditius erat ei qui vellet pecuniam celeriter habere : non deerant enim etiam tum qui bona Cleri semper aucupantes hanc pecuniam, modo emerent quæ placerent, illico possent præstare. Ab illa igitur via rex non refugit, tametsi non resederant turbæ, nec composita erat perturbatio rerum, quam fecerant ministri bona sacra diripientes ; confugit igitur ad auxilium Papæ, qui postulanti ducenta millia francorum fructuum principi, quinquaginta tantum millia nummorum concessit (2). Data igitur 1° augusti die 1568 bulla quibusdam viris qui eam exsequerentur.

(1) Hunc animum pontificis perspicue fusiusque illustravit *Theiner* in Annalibus qui Baronii opus excipiunt, Rome 1857, in-f°, tome I, pp. 139-159 ; notantur anno 1567 multa varii generis subsidia ad regnum Franciæ missa.

(2) De quibus, bulla jam scripta, cardinales consilium 2° die augusti inierunt. *Acta consistor.*, in Bibl. nat., Fonds lat., cod. 12.561, f^{os} 59-62. Decretum vero Papæ apud *Mémoires du Clergé*, *ibid.*, col. 1249-1254.

Jam vero rex omnia fere disposuerat ut perciperetur pecunia, et quidam nomine clericorum optimates quatuordecies centena millia francorum ex fructibus anni sequentis, quæ tamen alio modo solvi possent, bullam providentes, per provincias statim descripserant. Hoc facto, non remanebat alienatio integra (1). Ob illam causam, et cum cogitaret regina, quæ tum bellum parabat adversus Sectarios, alteram bullam postulare (2), prior in tabulas Curiæ statim perscripta est, ipso petente regis patrono, ne ulli traderetur, ne scribis quidem publicis, neve etiam typis mandaretur, deinde ad viros missa est, quibus tota res erat demandata (3). Mox enim posteriorem bullam, quæ jubebat tantam publicari copiam bonorum quantam in priore, Pontifex mense novembri ejusdem anni misit quibusdam e Clero, quos (pariter et in altera bulla) nuncupabat suos procuratores, ideo *Délégués de Notre Saint Père le Pape* vocati sunt (4).

Regina, quo melius animus pontificis inclinaret ad

(1) « En 1568 fut accordée au Roy une levée sur les fruicts en engagemens à faculté de rachapt dont fut faict taxe sur tous les diocèses attendant la Bulle de Nostre Sainct Père le Pape, laquelle taxe fut de quatorze cens mille livres appellée l'*octroy taxée*, sur les fruits à venir à faculté de rachapt. » In libello defensionis Syndicorum, Fonds franc., cod. 15.746, f[os] 24, 25, post quæ verba mentio fit posterioris bullæ ; et comprobatur testimonio oratoris veneti, die 3[e] augusti, in cod. 1726, Fonds ital., f° 255.

(2) Cancellarius l'Hopital variis argumentis, præcipue ne Sectariis timorem injicerent, disputavit non necessarium esse pontificis consensum, ut fieret alienatio, et gravissimis a cardinali Lotharingo verbis, etiam contumeliosis, reprehensus est. *Ibid.*, ex litteris 21 sept., f° 274, Vide Mezeray, *Histoire de France*, Paris 1675, in-f°, III, p. 185.

(3) « Les gens du Roy demandent que la bulle soit enregistrée sans être communiquée, ny délivrée au greffe, ny même imprimée, mais remise immédiatement aux commissaires y dénommés. » Ex diarii Curiæ die 20[e] septem., transcripti in Bib. nat., Fonds fr., cod. 21.245, f° 241.

(4) Bullam, quæ relata est in tabulis sive Cleri, sive Curiæ (Arch. nation., G8*, cod. 1383, f[os] 1-5, et X1A, 8.627, f[os] 432-435), nusquam typis mandatam in annalium Cleri monumentis vel alio in loco reperi. Vide igitur eam in Appendice II.

benignitatem, omnes ei rei publicæ labores summo colore pinxerat ; quos Præsul permotus indulgenter percenset : Germanorum maximas copias militum urgentes, seditiosos homines multam agri gallici partem incendio rapinisque miscentes, unamque in provinciam omnes coeuntes, plurimas urbes ad deditionem vi coactas, loca cruentis piorum omnis ætatis et sexus hominum cædibus inquinata, direptas ubique res sacras, Dei sacerdotes diris extinctos cruciatibus, plurimos viros, violato hospitii necessitudinisque fœdere, pacis specie interceptos et violenter abductos, vocatos insuper ex omnibus vicinis gentibus omnes qui ad certissimam patentis Galliæ prædam advolarent, jamque majores ex ipsa Germania motus exaudiri renunciatum. Rex tandem, quanquam nondum e gravi morbo recreatus esset, explosis omnibus suis de religionum diversitate decretis, edixerat unicam deinde religionem catholicam romanam in universum colendam esse, omnesque impietatis administros regno exigendos.

Hæc tantum sint ; quomodo enim utrumque negotium tractatum sit et absolutum, ignoramus, silent scriptores, testes vero actoresque de hoc nos certiores non faciunt. Ceterum omnia recte instructa erant a rege et pontifice, ut quælibet tolleretur injuria, præscriptaque juris sacri adimplerentur. Rex tantam et amplius pecuniam recepit quantam ex alienatione anno 1563 facta, id est ad quater fere decies centena millia francorum (1), sed multum abfuit, quin parem ex re caperent fructum argentarii regii, aut Sectarii, aut etiam quivis alius e vulgo ; nec videmus clericos, cum omnia ad procuratorum Papæ arbitrium disponerentur, unquam illis venditionibus recla-

(1) Rationes utriusque alienationis a Syndicis totiusque Cleri procuratoribus, quinque annis intermissis, perscriptas, prioris ad 1.495.211 francos, posterioris ad 2.474.681, videmus in Bibl. nat., Imprimés, Ld^5, n^{os} 73 et 74, qui sunt harum rationum libelli typis mandati.

mavisse. Etenim princeps hunc primum adierat, quem penes solum, ut rei christianæ moderatorem, erat res accommodare ad bonum Ecclesiæ publicum ; quin etiam, Præsul accurate, in utraque bulla, nonnullas constituerat leges certas, ne rescinderentur omnia, servandas.

Et primum totius negotii cura ponebatur in potestate virorum, quibus plenam habebant fidem et rex et clerici, scilicet a Lotharingia et Borbonii cardinalium, nuncii Sanctæ Sedis Gaiacensis episcopi, et archiepiscopi Senonensis, illius præclarissimi Nicolai Pellevæi ; quibus ipsa pontificia auctoritas tota permittebatur, ut quidquid videretur necessarium perficerent. Illi deinde in concilium quasi perpetuum coacti sunt, cui nomen, ut dixi, *Delegatorum Pontificis*.

Huic concilio commissa est in posterum provincia cujuslibet Ecclesiæ bonorum venditionis : nam Pontifex semper unaquaque bulla iisdem ferme optimatibus potestatem eamdem permisit. Illam autem princeps confirmabat auctoritate propria, cui non erat timendum ne procuratores illi, cum clientes omnino ejus essent, et quasi beneficiis vincti, quidquam detrimento illius agerent ; nam, præterquam quod non poterant mandata superare, potius indigentiæ regis favere in animo habebant, quam clericorum commodis.

Cum igitur non dubitarent quin Cleri esset pecuniam quam plurimam e facultatibus in bellum conferre, quod ad Ecclesiam pertineret, omnia fere secundum regis arbitrium peregerunt, nec semel Cleri voluntati sunt adversati, resque ejus inique, ut ita dicam, tractarunt. Sic paulatim (ut videbimus) et brevi tempore, contentio inter clericos exorta est illosque viros, qui de latere regis et e concilio ad majora nonnunquam producebantur. Hi nimirum miserias tot tantasque injurias in diem gravescentes non satis percipiebant, non intelligentes quam perniciosa esset hæc debilia regum in re publica gerenda

consilia et artes. In illo tamen certamine, clericis hoc contigit ut in tutelam bonorum hæc firmarent jura et privilegia, de quibus, non data sæpe vindicandi occasione, in scholis antea tantum agebatur.

Sed non statim coorta contentio; majora enim erant regno et cultui publico imminentia pericula, quam ut Clerus aliis opibus repugnaret amittendis; insuper pontifici confidebat, et bullarum legibus. Etenim vi earum intermittuntur in re præsenti pontificia quælibet edicta, quæ res Ecclesiæ vendi prohibent, omnesque pœnæ in ea perrumpentes latæ. Gravissime insuper in eos animadvertit Papa, qui nomine eorumdem edictorum aliorumque juris sacri similium, aut etiam fictorum, quæ nonnullis in locis non recte invocantur, privilegiorum, obsistant venditioni. Et hoc, quod contra veterem illam Ecclesiæ Gallicanæ libertatem erat, nusquam scriptam, sed jamdiu vindicatam, qua prohibebatur ne ullo modo bona sacra vel fructus, Clero renitente, a proprio usu averterentur, hoc, inquam, copiosius fere exponebat utraque bulla, sed postea brevis illa sententia complexa est, *etiam invitis vel contradicentibus clericis,* in quam acerrime, plaudente Curia regia, illi conspiraverunt.

Res vero non ad perpetuum, sed ad tempus vendi licebat. « De quo (tempore) vobis expediens videbitur, ac etiam quovis tempore redimi possunt. » Quæ tamen libertas quam illusorie et difficulter servaretur, jam vidimus. Hæc igitur lex in posteriore bulla non fuit relata, nec amplius eam fere in illis, quæ postea datæ sunt, reperimus.

In eadem etiam novembris bulla, plura inscribuntur ac in priore, et accuratiora. Sane, quo securius in omni loco servaretur dignitas decusque vel cultus vel ordinis sacri proprium, consentaneum erat præcipuis opulentioribus tantum imponi pecuniam, non autem modicis et exigui fructus beneficiis. Insuper abstinendum erat ab illis bonis

quibus nitebatur potentia Cleri, et quasi principatus inter alios gentis ordines : ut erant castella, jura feodalia, jurisdictiones dictæ *temporales*. Has autem condiciones, quæ in omnibus prope pactis decretisque venditionum postea scriptæ sunt, jam Bulla novembris his complectitur verbis : « Ipsa bona feodalia (quæ possint alienari), nec præcipua nec nobiliora, sed dispendiosa et parvi reditus sint, quorumque alienatio dignitatem Ecclesiæ, etc., non minuat, et parochialium ecclesiarum centum, aliorum vero fructus simplicium beneficiorum viginti quatuor ducatorum auri de camera, secundum communem æstimationem, valorem annuum excedant. »

Ceterum pontifex, quantum potuit, jacturas pecuniæ clericis irrogatas imminuit, nam inter alia, quibus contineret quam angustissime munus gratuito datum, regem hortatus est monuitque ut, *pro sua pietate et caritate*, quam primum omnia damna « de liquidioribus fisco addictis seditiosorum bonis resarciret ». Et ita factum est, aut potius decreto imperatum : statutum enim est, mense julio 1569 (1), ut ex iis bonis ad quinquaginta nummorum fructus millia reciperent clerici, sed possumus facile suspicari quid huic acciderit edicto, cum saluberrimas pacis condiciones paucos post menses obtinerent Sectarii.

His rationibus constitutam Delegati pontificis rem statim aggressi sunt. Quomodo autem venditiones, quas prior bulla præscribebat, factæ sint, pecuniave soluta sit, ex annalibus perspicere non possumus ; scimus tantum a rege missam clericis licentiam, ut pecuniam ratione qualibet commodiore solverent (2). Mox etiam negotium interruptum est, atque ad tributum complendum, illi mutuaverunt ab argentaria Parisiensi pecuniam ad centum

(1) Vide in *Mémoires du Clergé* hoc decretum, col. 1396-1398. Ambass. vénit., ex litteris 12ª augusti, cod. 1727, f° 60.

(2) Decreto 6ª octob. 1568, in libello rationum, Bibl. nat., Ld⁵, n° 73, laudato.

millia francorum, cujus annuus fructus e vectigali jam paucis abhinc annis constituto exigeretur. Dicas ceterum hujus bullæ vestigia, sive a ministris regiis, sive a quolibet alio, prudenter deleta fuisse.

Quod vero ad alteram pertinet, omnia aperte a Delegatis acta sunt. Ipsi enim beneficiorum unius cujusque diœcesis novum censum ex indice ab episcopis misso (1), pretio eorum cum illo, quod fuerat ad redimenda bona nuper alienata constitutum, collato, descripserunt, et elegerunt viros (nam a bulla facultatem accipiebant illos adhibendi, modo graves essent usuque rerum periti), qui providerent in unoquoque loco, ut res minimo detrimento venderentur. Sed ut consulerent decori juribusque regiæ potestatis, simul ac necessitati, in qua tum maxime res publica versabatur, mitigando scilicet non pauca disciplinæ sacræ acerbiora, ut etiam componerent omnia, nescio quo fœdere cum eadem potestate inito, procuratorum, quos Parisiensi provinciæ vicinioribusque locis indicebant, auctoritatem quam amplissimam fecerunt, ut ceteros in quibusvis locis institutos observarent, vel parumper deficientes adjuvarent. Illi vero custodes, inter primores Curiæ parisiensisque cleri (2) delecti, qui majestatem personamque regis tuerentur, et leges publicas interpretarentur, non libere reipsa, nec pro voluntate sua, primum (quod pariter de omnibus dicendum est, qui rerum procurationem acceperunt), sed intra loca sibi assignata, Delegatis inspicientibus, egerunt.

Omnia igitur ab his Papæ legatis, sicut ordinata, ita

(1) Ordo hujus indicis instruendi perscribitur in litteris cardinalium, ad episcopum Trecensem 5° januarii 1569 datis, quæ reperiuntur apud Bibl. nat., Fonds Dupuy, in cod. 543, f° 140. Pollicentur ipsi se hunc indicem nemini communicaturos esse, sed statim ad præsulem remissuros.

(2) Erant inter eos princeps Senatus parisiensis, Christophorus Thuanus, duoque *cameræ inquisitorum* præsides, e quibus ille *Florentin Regnart*, quem sæpe producemus in medium.

et administrata sunt ; quæ igitur decreverunt, longe aliter erant ac statuta a rege in priore alienatione (1), et apparet satis lucide curam in eorum mente stetisse jurium Ecclesiæ retinendorum. Inter procuratores enim in locis constitutos sedebat episcopus, cum uno vel alios e regiis ministris. Illi clericis denunciare debebant, quam summam pecuniæ solvendam unicuique ipsi definiissent ; clerici deinde, intra dies octo, pro sua quisque parte significare quæ bona vendere sibi proponerent.

Clerus ergo in hoc maxime proficiebat, quod prædia vel bona non ex libidine quorumdam, vel arbitrio judicum eligebantur, et quidem sæpe fructuosissima quæque, sed pro commodo ejus qui vendebat. Si, prædio designato, intra quindecim dies non aderat emptor, quodcumque aliud, quod facilius vendi posset, profiteretur dominus oportebat ; non autem denegabatur, quod erat maximi momenti, facultas pecuniæ quolibet modo cuique expeditiore solvendæ. Hæc Parisiensibus procuratoribus IV° die martii 1569 data est.

Omnia vero, quæ composuerant Delegati, non multo post decreto XII[i] aprilis regio confirmante iterum ita colligebantur, ut prorsus publicis ministris tolleretur nocendi copia, et omnis via præcluderetur injuriis fraudibusque.

Ceterum procuratorum in provinciis opera, utcumque res casura erat, omnia peragenda erant, ipsique potestate, diœcesi quidem circumscripta, non tamen spernanda fruebantur, quippe quorum in manibus esset, assignatam unicuique pro nummaria in præsens condicione clerico partem, si necesse esset, imminuere, quod saltem pro

(1) Varia eorum acta, regis auctoritate comprobata, in unum a Clero cum rationibus rerum venditarum collecta sunt apud *Agence du Clergé*, in cod. 1383 procemio. Inter quæ reperiuntur mandata ad procuratores, vel commissarios supra dictos parisienses directa, quæ infra evolvimus.

pago Lugdunensi comperi (1). His igitur æque constitutis, in tuto collocabantur res clericorum, ut ne unus quidem nimis amitteret.

Negotium omnino juxta præscripta fuit absolutum, nec lædentibus regiis, nec clericis repugnantibus. Ubi vero ii jam, imminutis non una via opibus, fortunam pene amiserant, ut Lutetiæ Parisiorum, in qua urbe princeps nullo anno desistebat reposcere pecuniam, plerumque publicata sunt nonnulla prædiola, vel bona mobilia parvi pretii. In aliis autem locis, ut in agro Lugdunensi, plurimi, qui non admodum laborabant, protinus nomen expedierunt, ære absque ulla venditione soluto (2), nam rationum libelli declarant eos pependisse pecuniam, « cujus apocham ad provisionem seu *par avance pour satisfaire aux taxes* statim receperunt ». Qui autem emebat, ipse non prædii tantum debebat pretium solvere, sed etiam vectigal quinque francorum ad centesimum quemque addere francum.

Varia igitur exsequendi negotii videntur opera modo satis celeri peracta esse, nihil prohibentibus iis quorum intererat, nec etiam Syndicis. Qui non abstinuerunt ab omni labore, nam Delegatos auxiliati sunt, ad minus in rationibus explorandis, et utramque alienationem, nomine eorum et potestate, libellos subscribendo definierunt. Neminem enim præteribat quam difficilia essent tempora, quibus non sine maximis jacturis consulendum esset : nam motus civiles, his annis 1568 et 1569, per totas ferme proruperunt Franciæ terras, ita ut regnum ad extremos

(1) Arch. nation., G8*, initio codicis 1388.

(2) In tabulario Cleri servatæ sunt rationum tabulæ pro singulis provinciis, vide *ibid.*, codd. 1383-1390, Parisiensi, 1383 ; Lugdunensi, 1388 ; in qua diœcesi sexaginta fere beneficia vectigali onerata sunt. Ex tabulis autem quas perlegi, constat prædiis monasteriorum (etiam prioratuum), canonicorum, episcoporum, non autem curatorum et ceterorum inferioris gradus beneficiariorum impositam fuisse pecuniam.

perduceretur casus; itaque minime decebat clericos aliquantulum æris egenti regi denegare. Sed cum iniquis condicionibus pax convenit anno sequenti ad S[tum] Germanum, Clerus omni spe dejectus, periisse impensas indigne tulit, præsertim cum videret in maximum favorem venire Sectarios, et se incassum fere præmia exspectare, quæ ex bonis eorum in publicum addictis rex pollicitus esset.

Cum igitur, patrata die S[ti] Bartholomæi nefanda illa strage, bellum quam atrocissimum renovaretur, et optimates virique nobiles, qui *Politici* nominati inclinarent ad leniora, Sectariis favere viderentur, maximaque omnium inopia laboraret res publica, clerici, maxime in provinciis, a diffidentia non abstinuerunt, coactusque anno 1573 conventus episcoporum, qui regi pecuniam daret, cum multa proponeret vendenda, census, ædes, officia, etc., uniendaque majoribus minora monachorum beneficia, turpissimam ab omni Clero repulsam tulit (1).

Et jure quidem, nam clericis, postquam amiserunt intra decem annos fundos et bona immobilia ad centies fere centena millia francorum, præterquam quod, dimidia parte agrorum Ecclesiæ a Sectariis occupata, ipsi quibusdam in partibus deturbabantur de omni possessione, clericis, inquam, molestissimum erat tot tantaque, et ad quid, vendi. Cui profecerant tot opes impensæ, totiesque commutata regis ratio agendi, nisi solis Sectariis, qui, rebus nescio cujus civitatis ad formam nuper ordinatis, multis

(1) Ex libello purgationis a Syndicis confecto, Bibl. nat., Fonds franc., cod. 15.746, f° 45; pariter ex alio, quo clerici Parisienses hæc omnia respuebant, *ibid.*, f° 109 et seqq. Denique ait orator venetus : Il Clero di franza ha fatto risposta molto gagliarda sopra la vendità de beni, lasciandosi intendere che a modo alcuno non vi vogliono consentire, et se altri han promesso cosa alcuna a Sua Maestà l'han fatto senza alcuna sua autorità, et pigliano animo in questo fatto, essendosi riscaldati da Papa et da suoi ministri ». Ex litteris 9[i] augusti 1573, Ambas. venit., tome 1728, p. 88. Nuncius enim recens missus Salviati se promittit sedulo facturum ut nulla fiat venditio ; in litteris 4[i] julii, *Nunz. di Francia*, tome 6, p. 411.

etiam veteris religionis cultoribus parti conciliatis, potentiam suam communierant?

Hæc ita se habebant, cum mortuus est rex Carolus. Conventus tamen episcoporum, præeunte cardinali a Lotharingia, non destitit proposito, quod videbimus non semel ab iis, sed perseveranter relatum esse. Nec operæ nobis pretium est indagare quam strenue sub illo cardinali res regis conarentur componere, sed aperire tantum quo tempore concilium Pontificis delegatorum adeo perfecte constituerent, ut summam rerum in Ecclesia Gallicana tenerent.

Cardinales enim, incumbere fastidientes in leviora rei nummariæ et rationum, aut spatium non habentes his immorandi, paucos sibi adsciverunt viros in Curia insignes parisiensi, qui accurate administrarent illa : quos videmus partes non minimas sæpe in variis suscepisse negotiis, quæ ad venditiones spectabant. Ideo ipsos, quibus decreto IV[i] martii 1569 totam negotii mandaverant curam, eo modo cooptarunt in concilium : cardinales a Lotharingia et Pellevæus, Romam abeuntes, suum quisque signum uni e senatoribus dederunt (1), pariterque tertius in locum Borbonii, et alius in nuncii Gaiacensis suffectus est.

Illi quatuor igitur quotidie minimis rebus operam dederunt, libellosque miserunt in primis, quibus singulorum venditio bonorum confirmaretur. Sed Lotharingo vita, Gaiacensi munere functo, dissolutum est concilium ; rex autem Henricus, qui regnum mortuo fratre tenebat, auctoritate propria illud decreto XV[i] novembris 1575 ad perficiendas res inceptas iterum composuit, et tres senatores jam munere fungentes eumque ipsum, qui locum acceperat Lotharingi, in potestatem restituit.

Ita confirmati, atque unaquaque ceterum alienationis

(1) Hæc et sequentia reperimus in decreto regio, de quo infra. Vide tabularium Curiæ, Archiv. nation., X1A, in cod. 8.632, f[os] 473, 474.

bulla indicti, Delegati, sive cardinales, sive senatores, iidem fere, per totum tempus, quo vendita sunt bona Ecclesiæ, ita munere functi sunt, ut perpetuo, et ad vitæ cursum creati viderentur. Vi propriæ dignitatis, cardinales nunciusque Papæ locum in concilio tenebant. Inter senatores autem, alii vices morientium occuparunt, aut eorum qui vocabantur ad majus munus, alii vero toto temporis decursu inter legatos Pontificis interfuerunt.

Et primum adfuit inspiciendis utriusque alienationis 1568 rationibus unus parisiensium procuratorum, Florentinus Regnart, præses in camera Curiæ dicta *inquisitorum*, qui ad annum 1587 obsignavit omnia mandata. Aliquanto post Bonum Broé videmus, in eadem curia assessorem, qui, simul ac Regnart, semper et pari laude venditionibus præfuit. Post illos alii non eadem fama, nec eadem gratia usi sunt, ut Antonius de Saveuse, Philibertus de Diou, etc.

Qui omnes, cum ordini clericorum adsciscerentur, et canonicatus aliaque tenerent beneficia, non poterant facere quin Cleri servirent utilitati, parcerentque privilegiis. Cum varia negotia, quæ ad res vendendas pertinerent, maximam industriam requirerent tempusque non breve, non mirandum est concilium illud, cujus potestas ad tempus definiebatur, sine intermissione tamen, per viginti fere annos, ut exerceret mandata, sedisse. Quibus præmissis, ad rem propositam redeamus.

Scimus jam quomodo res anno 1574 se haberent. Cum autem, data regis morientis occasione, nefandæ in aula totaque in Gallia necterentur a quibusdam principibus viris et aulicis insidiæ, ut Sectarios adjuvarent, una via erat, ærario in summas angustias adducto, exhaustisque omni stipendii ratione proximo biennio Cleri fructibus, pecuniæ arcessendæ, scilicet ut venderentur alia bona, nec amplius stare posse, nisi clericorum æris ope, videbatur regia potentia.

Sed illi animos aperiebant alienissimos. Summi igitur Pontificis mentem tentavit regina parens per oratorem Ferals (1), et ab eo petivit ut posset bona sacra ad septuaginta millia e fructibus nummorum sibi assumere. Gregorius tamen Papa XIII non tenuit quin, revocatis in memoriam quæ facta essent, quemdam profiteretur dolorem, sed, habita ratione prementis Galliam calamitatis, misit illum Gaiacensem, archiepiscopum nuper factum Nazarenum, qui licentiam faceret dimidia fructuum anni utendi parte (2).

Res tamen non placuit, sed a plerisque gentis ordinibus repudiata est, multoque majore favore persequebantur alienationem, quæ pinguissima tantum læderet latifundia. Cardinales et primores Cleri, quibus nondum exciderant consilia superiore anno proposita, hæc omnia statuerunt, altero conventu coacto, pontifici approbanda esse, et ad hoc mittendum, qui totius Ecclesiæ gallicanæ apud Regem perpetuo agebat (3), Syndicum, nempe Jacobum de la Saussaye.

Regina rexque novus, pro sua parte, ut possent (quod jam firmum statutumque habebant in mente) alienare efflagitabant (4), et Syndico præscriptum erat ut pro iis loqueretur, peteret licentiam vendendi ædificia vetustate collabentia, quæ nonnisi nimio sumptu resarcirentur, alia locandi viliora, nec etiam cetera præteriret varii generis tributa (5). Quæ omnia, quod res immutarent Ecclesiæ, non certo totius assensu Cleri comprobanda erant.

(1) Ex illius litteris XVI junias 1574, Bibl. nat., Fonds franc., in cod. 16.041, f° 39.

(2) Litteræ de tota Nazareni opera servantur in *Archivio del Vaticano*, *Nunziatura di Francia*, cod. 7, passim. Oratores vero venetiani, in collectis litteris quas jam laudavimus, cod. 1728, mihi videntur prorsus ad mentem ejusdem Nazareni rem narrasse.

(3) Sunt verba cardinalium hunc commendantium, Nunz., *ibid.*, p. 512. Vide apud Theiner Ann. Eccl., tome I, inter alia instrumenta, litteras conventus de re eadem, episcoporum sigillo obsignatas.

(4) Litteræ regis, Mantuæ 5° die augusti datæ, apud Nunz., *ibid.*, p. 560.

(5) « Poter impegnare alcuni territorii da doverli redimere al

Regina autem, simul atque urgebat alienationem, decies centena millia francorum e fructibus, nam et hæc petierat, curabat ut in concilio describerentur, atque perciperentur. Nazarenus vero, comperto alienationem a multis nobilibus viris et cujusvis condicionis cupidissime appeti, atque clericis etiam non paucis arridere, illam dicebat eis placere, quod magnum lucrum ex ea exspectarent (1).

Pontifex vero, cum summo favore Syndicum audisset (2) (qui conatus est omnia componere ad utilitatem simul regis atque clericorum commoda, ideo nec illi nec eis, ut fit sæpissime, se probavit), bullam dedit XXIV° die augusti ad cardinales, nuncium Salviati parisiensemque episcopum, qua facultas eis tribueretur ad decies tantum centena millia francorum alienandi bona. Hæ autem litteræ, quia negotium terminis nimium incertis definirent, revocatis fere ad verbum quæ præscripta essent superiore bulla (3),

tempo da prefigersi da S S^ta ; vendere case, molini, et altri edificii, che han bisogno da continue riparationi, et simile cose manco dannose ; poter liberare alcuni censi, et redditi, et dar in Emphiteose alcune cose similmente manco dannose, con sopra intendenza di Commissarii a Diputatione di S. S^ta... che alcune Chiese et conventi di Religioni più Ricche possano comprar beni di altre chiese, Eccettuate le curate et vescovati, con unione di detti beni alle chiese che li compraranno. » Sic contrahuntur præsulum exspostulationes in Nazareni litteris, *ibid.*, p. 505.

(1) Quelli che vogliono la vendità de beni Ecc^ci sono li preti, et li più potenti che non vorrebbeno metter mano a la propria borsa, et vorrebbeno vendere per la chiesa, et comprar per se stessi et per li suoi, et per questo fan rumore, et mettono difficultà ne gli altri modi che si propongono. Il modo che io gli ho proposto è piacciuto al Clero minuto, ma non piace a i più grandi, perche non vi si può far guadagno. » *Ibid.*, p. 582.

(2) « Sur lesquelles (de litteris a syndico datis) sad. sainteté s'est comme elle dit plus fondee que sur autre chose », scribit idem Ferals 30° die augusti, Fonds franç., cod. 16.041, f° 58.

(3) Vide bullam apud *Mémoires du Clergé*, IX, col. 1256-1259. « Exceptis omnibus monasteriis monialium et parochialibus ecclesiis, aliisque beneficiis quæ curam animarum non habent, et valorem annuum centum librarum Turonensium non excedunt... ita tamen ut bona minus commoda, minusque utilia ad id deligantur, quorumque alienatio dignitatem ecclesiis non imminuat. »

regi certe placuerunt, ceterasque voluit postea perscribi ad normam earum (1).

Pontifex tamen, qui sibi proposuerat ea ratione dignitati Delegatorum parcere (2), mandata secreta Syndico dedit, quæ totam rem arctioribus contraherent legibus. Præter eas enim condiciones, quas præsules conventus præmiserant, prohibebat ne venderentur quovis nomine jura feodalia, jubebatque omnes rei rationes descriptas sibi quoque mense mitti. Insuper præstituebatur ne bullam traderet regiis ministris Syndicus, neve duo nuncii, quorum in manibus deponenda esset, Salviati Nazarenusque, in publicum prius eam efferrent, quam concilium regis sententiam de Sectariis oppugnandis certam emitteret (3).

Cardinalis tamen a Lotharingia, necessitatis excusatione urgentis, nonnullos venditionis libellos, XV° octobris 1574 datos, ad provincias, bulla nondum in publicum proposita, curavit mittendos, et, cum hujus exemplum nonnullis post diebus regi committeretur, idem Nazareno fatebatur eam non posse « ad unguem confici (4) ». Omnia autem quasi dolose fiebant, nam rationes alienationis, XVIII° mensis ejusdem ad regis concilium delatæ, summam a pontifice permissam superabant plus quinquies centenis millibus francorum (5). Nuncius quidem Salviati

(1) Nam, petita anno 1585 nova alienatione, mittebatur Romam hujus bullæ libellus, ut juxta normam litteræ perscriberentur, ut refertur ex Fonds franç., cod. 16.042, f° 203.

(2) Confer dicta in illis monitis, infra Append. III.

(3) Quæ nunciis etiam atque etiam præcipiuntur, ut, exempli causa, in Nunz., cod. 7, p. 658, 661, etc. et cod. 283, p. 274.

(4) Ex eodem cod. 7, p. 768, 782, et exemplar libellorum, *ibid.*, pp. 786-795.

(5) Venditum est ad summam 1.560 millium franc. 18 solidorum, et insuper 57.000 franc. pro provinciis Delphinatus et Provinciæ. Vide tabulas rationum, *ibid.*, in codice 8, pp. 26-32, pro decem provinciis, nam excipiebantur loca quæ tum in potestate Sectariorum erant.

qui has obsignabat decipiebatur, sed non ausi sunt consiliarii regis et cardinales propria auctoritate damnum illud Ecclesiæ irrogare, et ipse Lotharingus ceterique optimates Cleri, principi religionem incutientes et reverentiam erga jura sacra, impulerunt eum ut illam amplificationem pecuniæ probaret pontificis.

Rex vero qui, necessitate semper crescente coactus, deprecatorem se præbebat impigrum et innumeris favebat æris quærendi consiliis, per abbatem Cisterciensem, nova dona simul sollicitanda, atque totam venditionem curavit confirmandam. Non annuit tamen Gregorius, quin Romam remitteretur prioris exemplar bullæ, « acciò che non intervenisse come l'altra volta in cambio di cardinale de Lorena di buona memoria (1) », et « che non s'habbino a vedere due Bolle d'una istessa data et in uno istesso proposito (2) ». Quibus præmissis, Pontifex priori bullæ, de verbo ad verbum exscriptæ, alteram Idibus januarii 1575 conjunxit (3), quam dixit se, quia non suppeteret alienatio concessa maximæ necessitati Galliæ, propria benevolentia dedisse, ut vendi possent etiam « bona feodalia jurisdictionem annexam habentia, dummodo non essent primaria feuda, aut principales domus beneficiorum, vel oppida muris cincta, vel loca insignia ».

Nec prætermittebat accuratiora monita quæ Syndico tradiderat, ne fortasse verba bullæ, quanquam aperta essent, in clericos prave detorquerentur. Nam tempora erant ea, quibus ipse Lotharingus, vita functus, omni regis libidini non potuisset indulgere. Vidimus enim, quod otiosum est evolvere, quanto studio Gregorius Papa

(1) Ex litteris ad nuncium, a secretis Papæ, 24° januarii missis. *Ibid.*, in cod. 283, f° 479.

(2) Ex litteris nuncii, 19° februarii datis, *ibid.*, in cod. 8, p. 69, in quibus videmus illum non cessasse quoad bulla, quam regii retinebant alias ex aliis fingentes moras, redderetur.

(3) Bulla transcripta est in tabulario Curiæ, Archiv. nation., X1A, cod. 8.632, f°s 40, 41.

commodis Ecclesiæ consuleret; itaque de statu rerum communium quæsierat a Syndico, et volebat, ut diximus, singula quantum posset inspicere, quæ a Delegatis agerentur, et tabulas ipsas venditionum, quarum exempla certis diebus Romam mitti jubebat.

Ejus quidem mandata non accurate compleverunt Delegati ; non tamen poterant ab illis omnino discedere, quin neglecti muneris in crimen incurrerent. Hæc igitur quodam modo in præcepta referuntur, quæ illi mense octobri, deinde, bulla emendata, VII° martii 1575 die dederunt (1), in quibus quidem non pauca videntur ad jura clericorum composita, ita ut significent res eorum in melius processisse. Nam, ne tum suam Delegati committerent potestatem, ut pro superiore venditione, nescio cui concilio senatorum et regiorum, qui, cum separatim a cardinalibus plerumque agerent, multa ad propriam vel aliorum voluntatem patrare possent, duos adhibuerunt e Curia assessores, dictos *consiliarios*, quos jam nominavimus, Regnart et Broé, quorum consiliis tantum uterentur. Illi vero participes operis re vera fuerunt, ita ut de jure legibusque regni, aut de controversiis responderent (2). Licet illi, ut diximus, a rege iterum crearentur, non se gerebant præter auctoritatem cardinalium, sed contra tanquam sub ea constituti.

Ex ipsis Delegatorum præceptis, patet etiam Clerum sui juris aliquantulum fuisse in bonis tractandis, nam omnia venditionis negotia episcoporum cura peragi jubebantur, in loco ab eis indicto, scriba ministrisque omnibus aliis similiter ab eis constitutis. Præscripserat pontifex ante omnia ut de vero statu et pretio beneficiorum inqui-

(1) Vide priora, supra p. 49, note 4, posteriora vero apud *Mémoires du Clergé*, IX, col. 1261-1267.

(2) « Adhibitis et vocatis nonnullis ex antiquioribus strictioris consilii Regis consiliariis Ecclesiasticis eximia virtute doctrina et fide rerumque peritia » ; sunt verba e mandato 15° octobris deprompta.

reretur, ne nimio gravarentur onere, ideo Delegati censum novum describi jusserunt.

Possessores vero, ut antea, liberius immo, facultate usi sunt eligendæ rei quæ venderetur, aut ære se levandi quavis sibi commodiore ratione, et eo fructuosius quod eximerentur sumptibus. Non autem poterant bona sacra, ne jacerent eorum pretia, nisi viginti saltem francorum pretio pro uno fructus alienari, pretiique pars, si qua pecuniam beneficio superaret impositam, in vectigal seu annuam pecuniam redigebatur. Omnes tandem tabulæ sedulo ad Delegatos unoquoque mense mitterentur oportebat, ut negotium perspicere possent, et de eo fidem, ubi necesse esset, facere.

Hæc juxta monita pontificis a procuratoribus ejus primo præcepta sunt, quorum ad normam cetera, quæ narrabimus, deinde composita sunt. Syndici vero, non despicientes quæ Papa ipse disposuerat, acceptoque negotio (nam posterius, coram comitiis totius Cleri, prædicabant (1) coactum esse a misso Avenionem uno ex ipsis regem, ut bullam de nova comprobanda alienatione sollicitaret), ipsi rei et litibus, quæ ex venditis exsurgerent (2), operam præstiterunt. Merito quidem ad hæc peragenda, ut Cleri locum tenerent, cujus essent procuratores, vocati sunt; illum tamen novis implicuerunt oneribus, quibus cum laboraret, ea omni mox conatu a se repulit.

Non pauca amissa sunt prædia tempore illo publicata, quorum nulla fit in tabulis mentio. Scimus tamen mandato Delegatorum proprio, cum dominus hoc sibi non auderet assumere, venditum esse feudum dictum *du Perron* prope Lugdunum, seu *droit de justice haute, moyenne et basse*, quod præsul lugdunensis in hoc habe-

(1) Ut videmus in eorum libello ad comitia Milodunensia, apud Fonds franç., in cod. 15.746, f° 87.

(2) Illæ vero causæ in *Agence du Clergé* codicem 1355 referuntur.

bat prædium (1). Nec dubitandum est quin in aliis locis publicarentur bona feodalia, aliaque non parvi pretii. Princeps enim parum curabat, modo pecuniam acciperet, ut omnia juste peragerentur, ipsique sive Delegati, sive ministri regii, publicam excusantes necessitatem, etiam tum damna Clero intulerunt.

Quin imo Sectarii, quantum potuerunt, se negotio immiscuerunt ; imo in provinciis, in quibus validiores erant, illud conati sunt præoccupare. Videbimus enim Clerum dolere quod ministri regis primum locum, præsulum detrimento, in opere venditionis usurparent, inter judices autem sederent quidam sectarii, atque de loco præsules deturbarent.

Non igitur sine injuria clericis illata illa facta est alienatio, sed hæc, nisi frequentius injungerentur Ecclesiæ tributa, tolerabilia fuissent, nam impigra Delegatorum cura, maxime nuncii, certo provisum est ne summa rerum venditarum permissam alienationem nimis excederet. Ceterum Clerus non erat in eadem ac antea voluntate hæc ut toleraret. Etiamsi sublevando illi non omnino videretur paratus Summus Pontifex, etiam si non res ipsæ ex parte regis regnique mutarentur, nullo modo concedi poterat, quin, dissipatis bonis, periret Ecclesia gallicana, ut alia bona venderentur, præsertim cum non amplius utilitas ageretur hujus Ecclesiæ, sed quælibet, sive regis, sive assentatorum avaritia, ut expleretur, et quidquid imperite facerent, ut corrigeretur.

(1) Documento sint *Archives hospitalières du Rhône*, *Aumône générale*, série A, capsis 180, et 190, in qua reperitur mandatum quo Delegati mense julio 1575 rem vendendam esse præscribunt.

PARS TERTIA

QUA RATIONE TOTUS CLERUS IN VENDITIONEM BONORUM INSURREXERIT (1575-1580)

Etenim bellum cum Sectariis, regnante Henrico rege, nulla jam contentione gerebant, et illud quod, suadente Pontifice, in concilio regio decretum fuerat, mox interruptum est. Hoc erat in mente regis et reginæ solum, ut imperium summum novis in diem artibus retinerent, non autem ut rebus Ecclesiæ laborarent, et ipse princeps totus erat in nugis consectandis. Pecunia autem a clericis data, ut milites exteri de agro gallico deducerentur, insumpta est, nec illorum finem habuerunt incursiones.

Causam rei sacræ etiam tum interponebant ministri regis, sed neminem ludebant, et qui magnifica in oratione Sectarios clamabat exstinguendos esse, ipsis risum movebat. Postquam igitur Ecclesiæ utilitas eo modo cœpta est omitti, clerici, imminuta simul erga sacram regum potestatem reverentia, retinuerunt tantum curam jurium et privilegiorum, quæ nimis projiciebantur, bonorum tam multorum inaniter amissorum memoriam, et, dolore iraque capti illa, qua plerique Galli a regibus tum alienati sunt, eos etiam, in summam auctoritatem contumaciter agentes, incitare et ducere visi sunt. Nunc ergo nobis quærendum est quomodo, actus tot injuriis tantaque ruina nimis commovente animum, enisus sit Clerus, ut omni ratione præcaveret, ne in posterum bona Ecclesiæ immobilia quolibet modo divenderentur.

Princeps enim, cui felix animum addebat prioris even-

tus incepti, non desiit hæc appetere et, vix inchoata superiore alienatione, alteram ad centum etiam millia nummorum fructuum conquisivit, nec a nuncio, monente quam alienissima mente rem improbaret pontifex, cohiberi potuit (1). Nam Cancellarius Renatus Biragus, prætermissa hac repulsa, voluntatem illius, mense septembri 1575, coram viginti præsulibus aperuit, quod scilicet rex, cujus omnia essent bona sacra, posset præter consensum eorum illis uti suo arbitrio (2). In hæc audacissima verba vehementer reclamaverunt episcopi, negaveruntque a se hæc unquam admittenda esse, ut perniciosissima Ecclesiæ. Ad unum omnes significarunt vel minimam rem, etiamsi annueret Papa, non posse vendi, citra ruinam totius Cleri, quod propter innumeras jam alienatas conficeretur, rogatique ut quid auxilii præberent, negarunt, cum verbis in regem ministrosque asperrimis, a se concedi posse (3).

Prodebat etiam inter Cleri primores animus non amplius tolerandi quæ susciperentur adeo temere in jura clericorum. Vicies tamen postea centena millia e fructibus francorum, ut removerent alienationem, obtulerunt; sed hæc pro bono pacis concessa, regiorum tantum, ut fit semper, audaciam augebant, ut nova tentarent. Syndici vero, audentiores etiam, in longo libello, revocare in memoriam (ut regem monerent), singula tributa variaque onera pecuniaria, quæ quindecim superioribus annis cleri-

(1) Nunz., in cod. 8, f° 427, ex litteris 17[1] julii 1575.

(2) Ita tamen refert nuncius, *ibidem*, f° 505, vide Append. IV.

(3) « Hanno tutti detto che quand'anco il Papa lo concedesse a Sua Maestà che era impossibile poter lo fare senza una total rovina, essendo hormai li benefitii ristretti a mal termine per le vendite già fatte, et essendo ricercati di dar qualche agiuto di denari per la occasione della venuta di questi Raitri, si sono escusati con la impossibilità, dicendo molte parole asprissime contro il governo in modo che hora li Ecclesiastici sono così mal sodisfatti come gl'altri ». Ex oratoris veneti litteris, 7° septemb. datis, in Bibl. nat., Fonds ital., cod. 1729, p. 207 ; Hæc tantum sint, ut constet offensos tum fuisse principi omnes sacros ordines.

eos oppressissent, omnia vitia audacter exprobrare, omnem corruptelam, omnem injuriam, atque postulare ut emendarentur omnia quibus tum, principum negligentia et petulantia optimatum, Ecclesiæ laboret (1).

Hæc tamen, reverenti explanata sermone, renuntiabant simul præcipua crimina, propter quæ clerici mox cum rege certaverunt ministrisque. Hi quidem nullam in præsenti habuerunt illorum rationem. Sed Syndici nonnullique e provinciis Cleri procuratores, tanta vi tributo cuivis obstiterunt, ut cardinales nuncii ipsius auctoritatem invocarent, qui adversantes accersivit, nec tamen litem composuit, nam jura regis pontificisque referendo, dolorem clericorum renovavit et timorem (2), nec fuit approbatum tributum quod proponebatur, nisi ea lege ut confirmaretur libellus de corrigendis moribus, et rex publice promitteret, se nullam in posterum alienationem tentaturum esse.

Procuratores igitur Cleri simul, et suam certandi rationem, et litis fontem (quod solum nostri argumenti maxime interest) definiebant, excusatione illa se tegentes, quod non haberent rei tam gravis statuendæ, quæ ad totum Clerum spectaret, potestatem : cui igitur uni jus repetebant proprias res curandi commodaque per procuratores, universos quolibet modo in comitia congregatos, tuendi.

(1) Hæc innumera infinitaque in libelli exemplo legi possunt Nunz., *ibid.*, pp. 517-533.

(2) « Per caldi officii ch'io facessi con esso loro mai possibile di far cosa buona. Anzi si fermorno in dire, che essendo procuratori del Clero a negotii particolari, non havevano in ciò autorità alcuna, Et che però era necessario, che prima che far altro gli desse commodità di scrivere per il Regno, et dar conto a gli Ecc[ci] di quanto era loro stato proposto. A'che replicando in molti modi..... La qual dilatione ne ancho era necessaria : perche intervenendoci l'autorità di N.-S. et il poter del Re, a gli Ecc[ci] non toccava a far altro che ubbedire. Co'quali si procedeva solo per mera cortesia.... Ma come ho detto tutto in vano. » Nunz., *ibid.*, pp. 684, 685. Quid aliud a nuncio pontificis dici poterat? clericorum autem sententia prorsus erat diversa.

Et nunquam posthac ab illa discesserunt arte omni vectigali, cujuscumque esset condicionis, obsistendi, maxime omni, quod molestior esset, alienationi.

Ceterum, sive principis factis consiliisque, sive fautorum verbis augebatur contumacia clericorum. Versute enim regii ministri contendebant omni dolo, ut ex utraque parte, scilicet Clero et Pontifici, quam maximam subtraherent pecuniam. Cogenda igitur curabant decies centena millia francorum, prædicantes ea in antecessum sumi ex alienatione quam a Papa quæsierant ; et ex eadem simul connitebantur ut haberent quidquid possent.

Mense tamen maio sequentis 1576 anni, pax convenit qua frater regis Alençonius, persona judicis inter veteris cultus fautores sectatoresque novarum rerum sibi summa ambitione assumpta, priores depressit potius quam posterioribus vires dedit. Sed inter ea quæ convenerant, hoc gravius erat, quod permagna promittebatur pecunia ut de regno milites egrederentur exteri. Sed qua via parari poterat illa, exhausto ærario, nisi clericorum alienatis prædiis ? Ita quæ in commodum Ecclesiæ tutelamque fuerant collata, hostium ejus in emolumentum, nec ultimum, vertebant. Non tamen desiderata esset clericorum fidelis erga principem opera, nisi jure mirati essent hunc, qui civium fuisset impotens armis tegendorum, pacem vere mercari ære eorum, cum ejus esset illos ab omni tueri injuria.

Sed inter assentatores virosque rei publicæ peritissimos, tum prævalebant quidam asseverantes penes regem omnia bona posita esse, quibus uteretur pro arbitrio. Inter quos, ad illam sententiam perduxit regem reginamque, ut aiebant clerici, jam dictus cancellarius Biragus, gente Italus, qui secretorum omnium arbiter erat, ut pro proceribus loqui semper videretur. Hæc quidem pulchra in publicis conciliis, ut vidimus, disputabat, quin immo in comitiis Blœsas congregatis, et principis sententiam parum

aberat quin testificaretur (1). Eodem sensu parique ferme auctoritate sibi verba fecisse parisiensem episcopum referebat nuncius: « Volendosi che quando Nostro Signore non ci havesse acconsentito, il Re l'haurebbe fatta di propria autorità, tratando il fondo di Benefici in quel modo che da molti anni in qua, insieme con i suoi antecessori, ha fatto de l'entrate (2) ». His audacius jactatis incitabatur Cleri pertinacior voluntas.

Jam princeps animum pontificis per oratorem explorare voluerat, parum vero profecerat. Primores igitur Cleri sui studiosissimos, cum sibi compertum esset non paucos rei senatores adversari (3), conatus est impellere ut confirmarent alienationem. Nuncius autem, improbato illorum obsequio, rem haud legitime factam esse censebat (4). Sed res non ita se habuit, nam primores Cleri diu repugnarunt et, petitis, e quibus centum millia nummorum quotannis redirent, bonis, nonnisi parem francorum summam concesserunt, deinde ministris etiam atque etiam obsecrantibus, ducenta millia, nec amplius. Et ea lege tantum annuerunt religiosissime servanda, ne in pœnas incur-

(1) *Procès-verbaux des Assemblées du Clergé,* Paris 1767, in f°, tome I, p. 100.

(2) In Nunz., *ibid.*, p. 487, ex litteris 7[i] junii. Non est dubium quin opinio illa Sectariorum doctrinæ congruens tum in regni consiliis valeret.

(3) Dolos artesque regiorum orator venetus dilucide illustrat. Spargebant etiam famam a Sectariis ultro quæsitum esse ut emptores, si consensus pontificis vel Cleri desideraretur, præbere possent. Ex litteris 2[i] junii, Ambass. ven., in cod. 1729, p. 747.

(4) « Che l'Re di propria autorità dovesse fare una alienatione di beni Ecclesiastici, et che il Clero indotto da S. M[a] s'era congregato... il qual (Clero) non può essere rappresentato, no fatto parlar da quei Prelati, che si congregorno l'altro giorno ; che trovandosi qui a caso, non dissono le lor opinioni, ma secondorno la voglia del Re, che ha proposto, et risoluto ». Nunz., *ibid.*, p. 486. Errabat nuncius, qui præsules existimabat non obstitisse negotio, sed improbando sententiam primorum, nova certaminis momenta, et quidem gravissima, Clero præbebat, cum illi per se solos adhuc omnia confirmassent tributa clericis indicta.

rerent clerici sententiasque Ecclesiæ, neve recurrerent damna prima anni 1563 alienatione illata, ut intercederet consensus Summi Pontificis(1).

Sic quoque, princeps ipse, cum prævideret multa et difficillima undique proposito obstitura, voluit, ut ita dicam, negotium audacter expugnare. Serpebat enim rumor omnia propria ejus potestate, præter ullum consensum etiam pontificis, peragenda esse, quod prædicabat ipse dictus Parisiensis episcopus, cum nuncio colloquens. Princeps vero, eodem præsule ad pontificem misso, se aperte confessus est pecunia clericorum indigere (2), et usurum esse ad removendos milites exteros. Denique cardinales, quasi coacti (dicebant enim Borbonium a Syndicis, ut ipsi affirmabant (3), impulsum, regis ad genua frustra se provolvisse, obtestantem ne denuo venderentur bona Ecclesiæ), per litteras ad Summum Præsulem missas opus commendaverunt (4), affirmantes pecuniam nulla alia via posse quæri « cum propter ordinarias et extraordinarias impositiones, quibus vix clerus sufficiat, tum etiam propter

(1) Controversias inter præsules regiosque fusius exponit venetus, *ibid.*, pp. 750 et 757, inter quæ ait : « Non senza il consenso, et licentia del Papa della volontà del quale protestorono di non si voler dipartire... Oltre quel rispetto, che si deve in simil cose havere alla sede Apostolica, saria anco la total ruuina, et destruttione di esso Clero, senza che la Maesta Sua havesse quel profitto, che sperava, per che de i beni che si vendessero senza licentia, non se cavaria una terza parte di quello, che vagliono, oltre che non possendo li ecclesiastici intromettersi in questo fatto, per non incorrer nelle censure ecclesiastiche, restaria la vendità in mano de laici, et di persone, che non hanno quella cognitione che basta, ne quella carità che conviene per far il manco danno delle chiese, che si possi, come si è veduto seguire al tempo del Re Carlo, quando volsero far il medesimo senza la licentia. » Et præsules decernunt pontificem deprecari, ut rem suscipiat.

(2) Mandata Parisiensi commissa, quibus rex ad centum aureorum e reditibus millia petit alienari, in Bibl. nat., Fonds franç., cod. 17.991, f^os^ 44-54 reperiuntur transcripta.

(3) In libello defensionis sæpe laudato, *ibid.*, 15.746, f° 50.

(4) Vide has litteras, 20° junii die 1575 datas, in Nunz., tom. 9, p. 512.

bellorum sævitiam, quæ necdum multis suis fructibus uti permittit. »

Quid plura ? hoc compertum videbatur, testante ipso nuncio, regem, necessitate pulsum, omni tantum opera conari, ut quamlibet moram removeret ; nuncius tamen, nedum rem suaderet, multa mente aliena, potiusque favens Clero, referebat ad pontificem, nec multum aberat quin Parisiensem criminaretur.

Nunc nobis quærendum est, quomodo negotium, quod suum rex fecerat, prospere cesserit. Hoc unius oratoris solertia contigit, illius Petri Gondæi qui cum a regibus amplissimos honores accepisset, ipse gentilesque, in res Henrici omni cura omnique ingenio incumbebat. Nam pontifex, vehementiusque cardinales, et ii qui circum ipsum erant, negotio adversabantur. Querebantur enim cum uno ex iis (qui regi Francorum tamen non erat infensus) quartum in paucis annis alienari quam plurima opulentissima bona. Hæc etiam addebant : Deus faxit ut alienationes illæ non sint pernicies hujus regni et animarum perditio (1).

Sed pontifex, citius solito Parisiensis episcopi solertissimis captus argumentis, certum tenuit regem, a proprio fratre plurimisque impugnatum regni primoribus, periculis maximis, quæ nunquam proximus etiam ipsi princeps expertus esset Carolus, implicari (2). Sed ad quinquaginta tantum millia ex reditibus aureorum ut alienarentur bona concessit, adeo tamen facile et celeriter, ut de Parisiensi facete diceret cardinalis Pellevæus : Venit, vidit, vicit (3). Ab ipso tamen oratore gallico *d'Abain* nuper relatum erat Pontificem nullam dimittere paratum

(1) Verba sunt cardinalis a Santa Severina, ex ejus Actis consistorialibus, in Bibl. nation., Fonds lat., cod. 12.563, f° 266, die 30° julii.

(2) *Ibid.*, f° 264 ; his enim verbis cardinales 18° julii die pontifex allocutus est, confessusque bullam jam confectam esse.

(3) *Ibid.*, f° 266.

esse pecuniam, sed aliter statuendum esse censuerunt quatuor cardinales, quibus totam rem Gregorius commisit, quos itaque credimus ex verbis ejusdem oratoris, quo nescimus modo, Parisiensis fuisse deductos blanditiis (1).

Ceterum jam data erat XVIII° julii die bulla, ad cardinales missa Borbonium, a Guisio, Estensem, ad nuncium Salviati, ad episcopum parisiensem atque ad senatores Regnart et Broé, qui nuncupabantur in ea Parisiensis et Carnotensis canonici (2). Sic confirmabatur a potestatem habente, ut eadem ferme atque cardinales gauderent auctoritate, munus horum senatorum, qui res ejusmodi non pari loco antea gubernarant.

Significabat Papa nihil curæ majori sibi fuisse quam ut « populi tam diuturnis damnis liberarentur et afflictionibus ». Varia quasi de verbo ad verbum proximarum capita bullarum perscribebat, addito uno aut altero, scilicet ut non minore pretio bona, quæ feodalia non essent, quam ad rationem viginti quatuor denariorum pro singulis venderentur, etc., apertiusque iis propositis, quæ ad naturam rerum pertinerent clerumque omni cautione munirent.

Ex dictis scimus jam quam celeriter Rex ad peragendum negotium properaret. Ideoque, nondum illo Romæ confecto, Curiam Parlamenti XVII° julii die adibat ipse, ut se præsente, ritu solemniore rogatio publicas in tabulas deferretur, sed a senatoribus aliter sentientibus, a

(1) Scribebat enim 26° julii die d'Abain ad regem : « Il n'y auoit personne mesme des cardinaulx de tout le college qui eust opinion quil se peust rien expedier audict affaire pour auoir congneu sa s[te] bien fort resolue de ne voulloir rien conceder en ce fait ». Et 5a augusti ad reginam Catharinam : « Il ny auoit a la venue de mons[r] de paris personne qui pensast que peussions rien obtenir et vous promectz que ledit s[r] de paris ne sy pouuoit mieulx ne plus dextrement gouuerner pour le service de vos ma[tez]. » Obtestatur tandem ut princeps gratias quatuor cardinalibus per litteras agat. Fonds fran., in cod. 16.041, f[os] 161, 166, 167.

(2) Bulla typis mandata reperitur in *Mémoires du Clergé*, tome IX, col. 1267-1271.

pontifice immo, quod pecuniam concessam excederet dolente (1), coactus est pronunciare ut de alienatione, quam jussisset ad ducenta millia fructus francorum fieri, aliquid ad mandata pontificis deminueretur.

Sine mora vero Delegati opus adorti sunt, non auditis qui omni modo intercedebant Syndicis; nec semel quidem omiserunt a nuncio, cujus auctoritate prorsus niti vellent, auxilium petere, sententiam ejus rogare, in omnibus obsequi voluntati ejus (2). Ipse eos sublevabat quantum poterat, sed cum a domino ei mandaretur, ut usurparent etiam monita, quæ proximæ bullæ pontifex adjunxerat, ei cardinales ingenue confessi sunt illa adhiberi non posse, « nec bullam ad unguem adimpleri », nam, cum e bonis sacris in Gallia paucissima tantum juribus carerent feodalibus, non confidebant alienationem ad exitum perduci posse, quin nonnulla horum jurium venderent; ceterum in quibusdam locis, ad viginti tantum francos pro uno vendibilia esse bona dicebant, necesse igitur esse aliis litteris pontifex legem ad viginti quatuor vendendi pro his locis remitteret. Et nuncius illas a domino petebat, non tamen magnopere, *dovendosi* ante omnia *esseguir l'alienatione portata per la Bolla*.

In summa nihil agi videbatur a Delegatis, nisi Præsulis arbitrio maximi. Verbis tamen bullæ tantum uti volentes, indulgebant re ipsa principis voluntati, ut ex illa quantum posset ipse exciperet; majorem imo pecuniam e vendendis ut compararent curabant, emptoribus nempe statuto insuper vectigali duorum solidorum et sex denariorum pro singulis pretii francis : utebantur enim occasione impensæ, quam faceret fiscus, cum nummi permutarentur, ut extra Galliam veherentur.

(1) Ex iisdem oratoris litteris.

(2) « Quando sono insieme convenuti, m'hanno sempre fatto chiamare; con mostrare di havere molto caro, ch'io v'habbia ad intervenire », dicit nuncius in litteris 27ⁱ augusti. Vide Append. V.

Descripta est vero unicuique diœcesi pars injuncta ex veteri censu, qui non jam verum præsensque bonorum indicabat pretium, ipsique concessæ quinquaginta millium summæ additi, ne quid pecuniæ vel minimum ob aliquorum ruinam beneficiorum regi periret, plus quam mille et ducenti nummi (1). Plane tandem omittebantur illa decies centena francorum millia, quæ tamen nuper a clericis exacta pollicitus erat rex de tributo demenda esse (2). Nonne igitur quasi ludere pontificem videbantur Delegati, cum oratorem ejus omni prosequerentur reverentia, ut huic nova probarent onera Clero imposita ?

Hæc tamen onera fictis tegebantur muneribus. Eodem enim die, quo præscripta est summa alienationis universa, nempe XX° septembris 1575, datus est etiam libellus in quo statuebantur servanda (3), ita ut omnia proximorum libellorum capita expresse confirmata fieri non posset quin diligentius tenerentur. Sic non poterat fieri quin clerici quo modo vellent debitum solverent, quin exciperentur ab alienatione, ad bullæ præcepta, præcipuæ res Ecclesiæ (4), quin tabulæ venditionis omniaque publice acta, diligenter in arcario collecta, fidem facerent sine ulla exceptione tutiorem.

Nova etiam erant quæ faverent Ecclesiæ : ut pecunia,

(1) Détail par provinces des ventes qui devront se faire au total de 51.221 escus de revenu, qui montent au denier 24 à 1.228.824 écus, lesquels réduits en francs à raison de 65 sols l'écu font 4.093.678 fr.... et le surplus pour l'abaissement de la valeur des bénéfices qui pourront se trouver taxés... Nunz., in cod. 9, f° 762.

(2) « Voulons ordonnons et nous plaist que ce qui sera payé par lesdicts beneficiers et ainsy que dict est payé, leur tienne lieu et soit precompté sur ce qu'ils auront à payer sur la taxe qui sera faicte suiuant ledict octroy et concession (du Pape). » Mandatum regis 22° octob 1575 datum, in Fonds franç. cod. 15.758, f° 158.

(3) In *Mémoires du Clergé*, IX, col. 1275-1282.

(4) « Réservé seulement les principaux fiefs et principales maisons et manoirs des bénéfices, les villes fermées de murailles et autres lieux insignes, comme il est porté par les bulles. » *Ibid.*, ad calcem 3[i] capituli.

quæ præfixam excederet, in fructum annuum verteretur, ab emptore venditori perpetuo solvendum (quo capite profecto jus aliquod in rem venditor retinebat) ; ut procuratoribus in provinciis Cleri liceret, propria regis potestate, ad judicium vocare et damnare eos qui, publice etiam, hanc excedentem pecuniam interverterent ; ut omnia tandem, quæ venditionis essent, cura fierent, iisdem inspicientibus procuratoribus, et præmio prius constituto, coactorumque expensis, *Receveurs particuliers des décimes en chaque diocèse* dictorum, qui sub ditione essent clericorum ac potestate.

Amici tamen regis dum hæc disponunt, et ipse negotium propter agri gallici populationes exterorumque militum intolerandam insolentiam urget, clerici qui, gentis alios ordines fortasse egentiores factos præcurrentes, quædam, ut vidimus, ad resistendum jam composuerant, nunquam, quidquid proficiant, placati quiescunt, donec bona sacra jusque ipsum dominii in tutum juxta veteres Ecclesiæ leges recipiantur, nec amplius sacrarum rerum causa servandarum cujuslibet objiciantur libidini. Syndici igitur ultro rem aggrediuntur, Curiæ parisiensi de Bulla deliberaturæ expostulationes offerunt quibus, inter alia multa, vehementissime in hæc assurgunt verba bullis omnibus inclusa, « invitis etiam clericis », et postulant ut quædam præstituantur, scilicet moneatur princeps ab omni re vendenda in posterum abstineat.

Curia igitur, suscepta plane clericorum defensione, habitaque gravissimarum ratione cujusvis generis injuriarum quas quindecim abhinc annis paterentur (1), cele-

(1) *Ibid.*, col. 1272-1275. Hæc sunt vehementiora verba : « Ayant égard aux remontrances desdits syndics généraux et députés dudit Clergé, touchant le pauvre et calamiteux état auquel est à présent réduit iceluy Clergé, tant par les hérésies et diverses sectes qui pullulent de jour en jour en ce royaume, que par les grandes, immenses et excessives ventes et levées de deniers faites à plusieurs et diverses fois sur ledit Clergé depuis quinze ans, et pour

berrimum dedit die VII° septembris 1576 monitum et, omnibus quæ Syndici vindicabant confirmatis, dicta verba explosit, quod Cleri privilegia juraque læderent; non vendenda esse pronunciavit præter ea, quæ concedebantur a Pontifice, quinquaginta millia aureorum, in quibus etiam reponerentur illa decies centena francorum millia anno proximo, prospecto pontificis mandato, percepta; nullam tandem significavit rogationem a se in posterum perscribendam esse de quavis alienatione, sed humillime se regem de toto negotio monituram.

Hæc præclare dicta in præsenti quidem injuriæ cohibendæ non satis erant, utilia tamen erant, quippe quæ vires adaugerent Cleri animumque obsistendi, et ostenderent in primis paratam esse quasi conjurationem inter varios ordines et collegia, Præsulemque ipsum supremum, quibus Rex, tametsi vincebat ad tempus, morem postea gereret plane oportebat.

Clerici autem in provinciis commovebantur, alienationem repudiantes, meritoque, post tot amissa bona, abhorrentes ab illa. Blœsas insuper convenientibus Galliæ totius ordinum comitiis, occasionem nacti sunt jurium solenniore modo vindicandorum, illius maxime, quo nulla pecunia solvi posset unius aut duorum optimatum opera, aut alia quavis ratione, nisi consensu omnium in universum dato. Et primum ex iis, quæ spectabant ad res venditas, nonnulla conati sunt corrigere ; nam cum judices regii præesse alienationi episcopisque antecedere contenderent, et mandata, non ad ministros locorum proprios mit-

les pertes et ravissemens de leurs précieux meubles, reliquaires, ornemens, livres, brûlemens de leurs églises, maisons, chartes, lettres et titres que lesdits députés ont remontré avoir en la plûpart du royaume aboli et fait du tout perdre la mémoire du divin service, des saintes fondations faites ès-églises, des aumônes et autres œuvres charitables, tellement que si l'on continuoit à faire lesdites ventes, impositions et levées, seroit à craindre de voir en bref en ce royaume une totale destruction et ruine de l'état ecclésiastique. »

terentur, sed ad exteros, etiam sectarios, terræ morumque plane inscios, exspostulaverunt comitia sacra ut in posterum illa darentur ad episcopos (1). Negotium rex ad Concilium remisit, sed etiamsi postulantibus non, est satisfactum, quod ignoramus (2), etiamsi repulsam acceperunt, fieri non poterat, cum in his angustiis res essent, quin omni labore, et hanc et aliam quamlibet clerici exstinguerent injuriam, vel saltem aditum aperirent stabiliendis juribus sacris.

Nihil tamen tum antiquius eis erat quam ut præcaverent ab oneribus alienationis vix inchoatæ, quæ vidimus fuisse gravissima. Sine ulla igitur mora, coacti sunt Borbonius et parisiensis episcopus ut se purgarent, omnia explanando, quæ a primo die acta essent vel parata ; qui verbis usi sunt ita summissis, ut parum abesset quin alter alteri crimen moveret (3). Conquesti sunt etiam clerici apud regem de nonnullis injuriis, et postulaverunt ut quædam imminuerentur onera : injuriosum quidem erat superari summam a pontifice permissam, sed multo gravius fiebat vectigal emptoribus indictum, ut quo pretium venditarum rerum quinquies centenis cresceret millibus francorum, nam non erat dubium quin emptores damno clericorum sumptum illum compensarent.

Ii tamen a concilio regis repulsi sunt cum risu ludi-

(1) Libellus exspostulationis, in actis comitiorum transcriptus sacrorum, propria manu scribæ subscriptis, Archiv. nation., G8*, in cod. 495. Scriptor annalium, Gulielmus de Taix, unus e procuratoribus, eadem ferme refert, quibus addit : « Même que quelques juges étaient de la nouvelle religion, et travaillaient à avoir des greffiers à leur poste ». *Mémoires des affaires du Clergé*, Paris 1625, in-4°, p. 7.

(2) Videmus tamen, ex iisdem Cleri actis, exspostulationem Delegatis 4° januarii 1577 die pontificiis datam esse, ut hujus in re præsenti rationem haberent. In actis typis mandatis, apud Lalourcé et Duval, *Forme des Etats généraux*, tome V, p. 150.

(3) Guil. de Taix, *ibid.* passim : « (M. de Paris) a confessé avoir fait les cottes à l'aveuglette parce que véritablement ils ne savaient pas le revenu des bénéfices, il protesta n'avoir suivi que l'avis des

brioque (1). Princeps vero respondit tantum se omni pecunia indigere parata, remisitque illos ad cardinales, ut novas describerent rationes, secundum beneficiorum præsentem nummarium statum. Monita autem curiæ, post tres menses exhibita principi (2), in irritum, ut semper, ceciderunt, nam, urgente iterum rege, senatores, XII° januarii die 1577, statuerunt bullam in publicas tabulas sine ulla exceptione referendam esse, suppliciter tantum illum rogantes, ut viros bonos peritosque, modo ne possiderent beneficia, præficeret, qui clericorum se gravius onerari querentium audirent vindicias.

Hæc autem non erant magni momenti, cum res tota jam inter principem Delegatosque componeretur. Nam, in ejusdem XII[i] januarii mandato, jusserunt ii nonnullos in unaquaque diœcesi viros venditionibus auctionibusque constitutis adesse, illasque tantum inspicere, ita tamen ut non præessent judicibus, aut in eos ullam haberent potestatem. Clerici vero egentissimi exempti sunt parte, vel etiam tota summa tributi, quam legem Henricus rex, mutato pluries consilio, litteris VII[i] martis 1578 diei confirmavit.

Negotium enim toto proximo ductum erat anno, clericique omni dilatione temporis illud remorabantur, ita ut cogeretur princeps, non uno decreto, quamlibet eis copiam concedere pecuniæ viis opportunissimis solvendæ (3). Hæc autem irrita fere facta sunt, nam ex contractu Milodunensi, XX° die februarii 1580 inter regem et conventum Ecclesiæ gallicanæ obsignato, compertum habemus

autres délégués qui se seroient aidés de quelques mauvais départemens anciens ; il seroit bien aise de réformer ce département quands les cardinaux seraient arrivés. » *Ibid.* p. 15.

(1) *Procès-verbaux des Assemblées du Clergé*, I, p. 100, 101.

(2) Videas nempe annales Curiæ, in Bibl. nat. Fonds fran. transcriptas, cod. 21.247, f[os] 211-213, 22° decembris die, et 217, 12° januarii 1577.

(3) Varia decreta, in *Agence du Clergé*, codicis 1377 prooœmio.

partem grandem tributi, scilicet sexdecies circiter centena francorum millia, nondum solvi, cujus summæ rex vi ejusdem contractus quartam remisit partem.

Datæ sunt etiam XIV° martii 1582 die litteræ ad coercendos jure legibusque *(par toutes voies de justice)* beneficiorum dominos etiamtum inferentes moram et impedimentum (1). Duobus tantum post annis, in promptu fuit rationes alienationis subduci posse, sed accepti expensique tabulæ, XI° die solum augusti 1587 (undecim annis post datam bullam !), ad quadragies quinquies fere centena millia francorum perscriptæ sunt (2).

Ex dictis dilucide videmus clericos, non minus exulceratos quam egentiores factos, in contumaciam pervicaciamque devenisse, cujus summas causas, et quasi stimulos, in medium protulerant Syndici. In comitiis autem Blœsensibus ratio defensionis a Clero instructa est et composita. Ille enim conventus, cum verecunde auderet regi obsistere, ab omnibus delusus est, etiam a cardinalibus, repulsusque ab omni conatu, etiam a comprimendis ministrorum fallaciis. Nullam igitur excogitavit tutiorem jura tuendi rationem, quam ut omnes (et ipsi cardinales), mox discessuri, XXII° die februarii 1577 solenniter jurarent, se nunquam consensum ullum « tacite vel expresse, directe vel indirecte, neque per se, neque per alium », nisi omnes simul in universum congregatos, ulli daturos alienationi, vel cuilibet tributo, quod clericis imponeretur, curarent-

(1) *Ibid.*, in cod. 1379, f° 1391.

(2) Coactæ sunt *ibid.* in codd. 1377-1379. Acceptæ pecuniæ : 4.444.660 libr. 3 solid. 6 denar., expensæ, 4.469.423 libr. 17 solid. 6 denar. In illis indicantur tantum pecuniæ a coactoribus in ærarium collatæ, non autem quæ prædia sint publicata, quorum descriptionem quamdam, non integram quidem, nec absolutam, reperies *ibid.*, in codd. 1203-1251. Ab archiepiscopo vero Lugdunensi publicata sunt bona dicta *rentes d'Oullins*, *St-Genis-Laval et Ste-Foy*, et *justice haute, moyenne et basse* quam præsul in urbano colli dicto *Croix-Rousse*, a ripa Rhodani exercebat, *Ibid.*, in cod. 1237, n°s 63, 64.

que ordinis sacri procuratores omnes, tum præsentes, idem etiam in sua quisque diœcesi jurandum esse (1). Cum enim ille consensus, ut vere et legitime diceretur omnium communis, non posset apte tutoque nisi in conventu totius dari Cleri gallicani, viam inde aperiebant illis comitiis quæ, vocatæ *Assemblées générales du Clergé*, postea statis redierunt temporibus.

Nec vanæ erant hæ pactiones, nam in mente omnium fere possessorum jam certum deliberatumque erat, nullam bonorum immobilium, et partis agri sacri vel minimæ, tolerandam esse decessionem. Quod servatum est postea constantissime : etenim cum rex, post duos annos, quamdam, quæ vocabatur *decima*, fructuum partem percipi vellet, ex tota Gallia clerici concurrerunt, quasi ad arma, atque conjuraverunt, ut ne as quidem unum solverent, permiseruntque in multis locis bona potius publicari, quam assentirentur ipsi tributo.

Indicta sunt igitur mox, omnibus poscentibus, Milodonum comitia sacra, in quibus novis firmioribusque præcaverunt legibus ab injuriis, quæ semper sibi ipsis imminebant. Nam inter alia præclarissima opportune statuta, iteratum est, XX° septembris 1579 die, verbis quidem expressioribus, jusjurandum jam Blœsis datum, irritaque declarata sunt, et contra jus facta, quæcumque a quolibet, suo vel totius Cleri nomine, qualibet pactione promissa essent, vel in posterum promitterentur. Decretum insuper, ut idem juraretur ab omni conventu, vel in provincia, vel in diœcesi habito, ab omni capitulo, sive sæculari, sive regulari dicto, atque maxime ab omni, qui beneficii alicujus unquam veniret in possessionem (2).

Etsi non agebantur proprie bona alienanda, aut jura feodalia, non tamen inaniter statuebatur, nam facere non

(1) In omnibus Cleri annalibus reperitur jurisjurandi libellus, v. g. *Mémoires du Clergé*, IX, col. 1347-1350.

(2) Pariter apud *Mémoires du Clergé*, col. 1350-1353.

poterant ii, qui jurabant, quin præcipue hæc spectarent, præsertim cum, in ipsa jurisjurandi formula, affirmaretur necessarium esse Summi Pontificis consensum. Immo quanquam hæc ad omnes injurias reprimendas fiebant, id fere tantum effecerunt, ut ne postea res venderentur. Satis enim compertum est, ex annalibus Ecclesiæ hujus ætatis, in regis Concilio, quotiescumque proponeretur aliquid tributi vel minimum clericis injungendum, episcopos qui adessent, et ipsum Parisiensem, palam profiteri se nullo modo posse huic consensum dare, sed hoc totius soliusque Cleri esse in potestate.

Nec impediebant quin tributum exigeretur, aut rex interdum nova tentaret in opes Ecclesiæ, sed revera intellexit ille, ministrique ejus ex adversantibus clericis non amplius ignorare potuerunt, quanta cum reverentia abstinendum esset, saltem a feudis bonisque præstantioribus, quam ob necessitatem quibusve legibus bonis sacris uti liceret. Cohibuerunt igitur ipsi paululum audaciam, nam princeps, novem sequentibus annis, cum, inopia in diem urgente et nimia liberalitate pressus, clericos vexaret uno vel altero vectigali, vix semel quidem proposuit aliquid vendi ; qui tamen, primis post acceptum imperium annis, nullum fere diem intermiserat, quin copiam quæreret alienandi. Clerus vero, hac prima victoria fretus, non satis habuit injuria se prohibuisse, sed conatus est alienationes, quo tempore pernecessariæ esse viderentur, in tributa convertere minus damnosa.

PARS QUARTA

QUOMODO ALIENATIONES POSTREMUM FACTÆ CONVERTERINT IN PECUNIAS SOLVENDAS (1585-1588)

Motus civiles paulisper sedati non tamen omnino quieverunt, sed post aliquos annos recrudescentes, eo furoris processerunt, ut nunquam adeo necessarium fuisse appareret res Ecclesiæ publicare. Etenim dux Guisius et ceteri optimates, qui dicebantur *Colligati*, debilem regem ad id adduxerunt, ut bellum adversus Sectarios susciperet internecivum. Illud vero certum ei esse deliberatumque tum visum est, sicut et illis. Sed, ut prospere res ad mentem procederet illud moventium, nihil commodius effici poterat, quam ut impensis insumerentur bona Ecclesiæ. Et profecto princeps eo ardentius bello studebat, quo faciliores confidebat clericos in opibus in victoriam impendendis futuros esse. Neque vero ii, neque Summus Pontifex Sixtus Quintus illius constantiæ confidebat, sed exspectaverunt donec bellum committeret, immo rem adduceret in summum periculum ac discrimen. Ex utraque igitur parte certabant, ut astutia vincerent, rex vero, deficiente religione, superabat usu quotidiano.

Semet tamen primum citius aperuit, hac justa excusatione, quod bellum eo felicius gereret, quo velocius pararet. Oratores enim ejus, inter quos cardinalis Estensis, fœdere vix cum Colligatis facto, domini jussu, mense augusto 1585, a pontifice facultatem proposcerunt bona immobilia vendendi, e quibus redirent centum millia aureo-

rum (1), quam summam reges jam petere solebant consuetudine non semel confirmata.

Pontifex autem, nec studiosus, nec diligens in capiendo consilio visus est, nam respondit se non posse pecuniam Ecclesiæ conferre in usum regis, quin bellum comperiret commissum esse, atque aliquid prospere agere sacræ causæ propugnatores; denique oratoribus pertinacius precantibus pollicitus est, cum non liceret bona publicari clericorum, pecuniam ad vicies centena millia francorum nescio qua ratione exigendam esse (2). Adeo sæpe profusum erat æs e tributis. Cleri redactum (nec aliquid Ecclesiæ vel ipsi rei publicæ profecerat), ut vel minime prudentis esset omni via illius novi morari solutionem.

Uterque tamen, rex et pontifex, aliis implicati gravioribus inter se controversiis, et exspectantes dum alter alteri nonnulla in re concederet, pariter longo temporis spatio protraxerunt negotium. Mense tantum octobri, ille definivit qui cardinales hoc considerarent, sed, quanquam ii omnes ad suadendam alienationem consentiebant, perseveravit cunctari, quod e Gallia scriberent nullo modo paratum esse bellum, nec etiam illud regem curare ; et inter alia quæ prætendebat pontifex, hoc gravius principi significabant cardinales amici, mittendum esse oratorem, qui cum papa condiciones alienationis agitaret (3). Rex igitur statuit ut rem totam mandaret episcopo Parisiensi, qui jam paucis ante annis proximam alienationem, et quidem feliciter, rogaverat.

(1) Princeps primum 25° julii die facultatem postulabat ; videas igitur omnia, in litteris cardinal. Estens., in Fonds franç., cod. 16.042, maxime 29ᵃ augusti, f^os 132, 134, et sqq., quæ facta sunt toto hoc anno 1585

(2) « Il me respondit que jescriuisse au Roy que sa s^te permettoit que sa M^te feust ayde de biens de leglise jusques a deux millions d'or ; et ce sans rien vendre si il estoit possible. Que si il ne se trouuoit daûe moyen il promettoit d'aliener jusques a ladicte somme et je le luy fiz redire deux ou trois fois..... » *Ibid.*, f° 135.

(3) *Ibid.*, f^os 205, 214, 215, ex litteris 22ᵃ diei octobris.

Recens vero convenerat Clerus in comitia totius Ecclesiæ gallicanæ ad fanum S. Germani in Pratis, et primo deliberandum acceperat, qua ratione pecuniam impensis belli suppeditaret. Sed cum perspicerent clerici se facere non posse quin aliquid darent, immo totam impensam sustinerent, æs promutuum statim credendum censuerunt, illud etiam, nulla alia occurrente via opportuniore aut expeditiore, ex venditis bonis comparandum esse, modo curam et administrationem totius negotii per procuratores agerent (1).

Variis autem die XIV° octobris regi propositis artibus pecuniæ parandæ, ad extremum subjecerunt aliqua, ceteris deficientibus, dum minimo fieret detrimento, vendi posse. Duodecies igitur centena nummorum millia ea lege promiserunt ut, qui pecuniam sibi injunctam alio modo solvere non possent, eis permitteretur sub hasta vendere nonnulla viliora. Accepta res est summatim, et a quibusdam e conventu delectis tota pecunia, nonnullis post diebus, per diœceses dispertita est, ita tamen ut episcopi mandatique a clericis viri summam, pro parte cujusque diœcesis definitam, secundum statum præsentem beneficiorum inter possessores dividere possent, deinde cum iisdem legitime explorarent, num postularet necessitas aliquid vendendum esse (2). Id vero statuebatur secundum consuetudinem jam acceptam, qua vidimus clericos in unaquaque alienatione libertate vendendi aut non vendendi potitos esse.

Flagitavit etiam conventus, quod nunquam erat omissum, ut de negotio sponderet Summus Pontifex, ideoque rex, qui consilia in id solum vertebat ut totam pro suo commodo rem occuparet, misit oratorem, noluit vero Parisiensis mandata comitiorum acciperet, aut eorum cum

(1) Guliel. de Taix, *Mémoires des affaires du Clergé*, in posteriori parte, p. 69. *Procès-verbaux des Assemblées du Clergé*, tome I, p. 290.
(2) De Taix, *ibid.*, p. 85.

ipsius detrimento fieret procurator, ne ipsum ullo modo impedirent.

Etenim dubiis verbis significavit orator Pontifici clericos non repugnare venditioni, etiam quinquaginta millium aureorum : « Ilz esperent secourir Vre Ma^té^, Regi scribebat de se ipso cum Papa colloquente (1), d'ung million d'or, et les deux cens mil escuz pour les fraiz et interestz de la levée, et qu'ilz feroient tout ce qu'ilz pourroient pour les lever sans venir à l'alliénation. Toutesfois que cela ayant été fort débatu en leur assemblée, ilz ont jugé que leurs secours ainsy faict seroient plustost inutile qu'autrement, d'autant que la levée de cette façon en seroit impossible, et le secours en estoit necessaire, et en debvoit estre prompt. Tellement que chascun promettoit d'effectuer autant qu'il pourroit sa bonne volonté, mais que ne le pouvant il failloit venir à cinquante mil escuz d'alliénation ou autrement leur secours ne reviendroit ny à Vr̃e Ma^té^ ni à eulx à aucune commodité ».

Hæc dicebantur modo ambiguo, et fortasse scienter. In hoc inter se non consentiebant rex et Clerus, quod prior nihil curabat nisi vendenda bona, quod etiam ut posset ad centum millia aureorum conficere rogabat ; posterior vero duodecies centena aureorum millia, nihilque amplius, volebat concedere, præstituto præterea ut quisque ratione sibi commodiore nomen expediret, nec quidquam publicaret, nisi omni alia via interclusa. Parisiensem vero, etsi videatur e verbis laudatis rem ingenue proposuisse, astute tamen omnia, et cum incommodo Cleri, egisse hoc ipsum satis significat quod, cum semel et iterum narraret Pontificem etiam diu dubitasse, an quinquaginta millia aureorum concederet (2), alienationem tamen ad centum obtinuit millia. Ipsum igitur et Estensem omnimodo tentavisse

(1) Ex litteris 12^i^ decembris, in Fonds franc., manusc. 16.045, f° 176.
(2) *Ibid.*, f^os^ 178, 180.

cardinales negotio præpositos et familiares Præsulis, non est infitiandum.

Toto vero mense decembri deliberatum est et, cum res convenit, pontifex etiam (exspectabat enim quid de bello fieret) altero mense bullam tenuit occultam (1). Denique illa data fuit XXX° januarii 1586 die, nec poterat pontifex diutius rem protrahere, sed quædam alia difficiliora et graviora, quæ cum rege tractabat, ut injuriam nuncio suo illatam, archiepiscopo Nazareno, quem princeps turpiter rejecerat, totum negotium produxerant. Cum autem hæc jure et merito pontifex consiliis admoveret, non omnia tamen, quæ commodo intendebat Ecclesiæ, assecutus est (2).

Concedebat enim ut bona statim ad quinquaginta millia nummorum venderentur, et totidem alia post tres tantum menses, ea lege ut maximam veniret in spem fore ut a Sectariis recuperarentur bona Ecclesiæ, istique de agro gallico depellerentur : qua ratione religionem eximebat timoremque, ne pecunia sacra sine effectu consumeretur. Procuratoribus autem suis committebat, et clericis ipsis permittebat, ut quidquid injuriosi, vitiosi, vel effusi in bullam attentatum, corrigerent. Hos etiam procuratores augebat numero, quo melius Ecclesiæ præcaverent ab avaritia regiorum : etenim cum Regnart et Broé sæpe laudatis, tres alios « aulam regiam sequentes clericos, causæ tamen amantissimos Ecclesiæ » nominabat, ipsosque Syndicos.

Insuper varia bona, incipiens a mobilibus et *decimis*, aliquo disponebat ordine, quo clarius appareret quæ potissimum liceret vendi (3), ceterasque condiciones, jam sæpissime in aliis bullis inclusas, renovabat, « dummodo

(1) *Ibid.*, f° 187, cardinales 30° decembris die negotium confecerunt ; f°s 189, 203, decurrente toto mense januario, Parisiensis scribit se nondum vidisse bullam.

(2) Reperitur bulla in *Mémoires du Clergé*, col. 1293-1297.

(3) « Prius bona mobilia, si id commode fieri poterit, nec non decimas, et alios redditus annuos, deinde bona stabilia. »

non minori pretio fiat, quam ad rationem viginti quatuor denariorum pro singulo denario, ita ut alias facta alienatio irrita sit et invalida (1) ». Jubebat tandem solutionem pecuniæ, nomine Cleri et unoquoque mense, ad impensas fieri belli auctoritate cardinalium, et ipsius nuncii, quem rei procuratorem peculiari modo, et bis quidem instituebat pontifex.

His igitur novis legibus, etiam inauditis, quibus idem vetabat pecuniam, nisi speculante Clero, in bellum insumi, omnia, sive optimatibus, sive clericorum procuratoribus, omnino permittebantur, ut rem viis legitimis possent ad optatum finem perducere. Nec prætermittebat Summus Pontifex « Clerum legitime congregatum necessarium judicasse Regi succurrendum esse, etiam per alienationem bonorum immobilium ». Quod quidem, sicut et potestas singularis nuncio tradita, quanquam parva esse videantur, occasionem fecerunt contentionis regis cum sacro conventu.

Nam, cum bulla mense februario allata est, Rex noluit unquam Clero exhiberetur, ne forte is se decipi deprehenderet, injuriaque invocatam esse suam auctoritatem. Pontificis itaque libellus directe ad Curiam missus est, quasi rem totam inter principem et oratorem Papæ agitari oporteret. Clerici autem, cum ex hac agendi ratione crederent regem bulla, præter tributum quod jam ei concessissent, usurum esse etiam invitis ipsis, quæ tamen verba non ferebantur in illa (2), et Curiæ, et Delegatis, et nuncio

(1) Fateor equidem hanc legem, omnia rescindentem, pariter proprio sensu valere, sicut pro proxima condicione : « Non minori pretio fiat..... », ita et pro omnibus quæ præcurrunt, ut : « Modo tamen alienatio bonorum fiat quæ minus sint utilia..... Dummodo non sint primaria feuda..... Illa cautio adhibeatur per quam Ecclesia a suo jure in perpetuum non sit exclusa..... » Hæc fortasse consulto posita ambigue, ut res omnes ad consilia regis, salvo tamen Ecclesiæ Clerique commodo, componerentur.

(2) Vidimus contra rem a pontifice ordinatam ut nonnisi ad arbitrium Cleri perficeretur.

ipsi, cognito ex quibusdam exemplis bullæ quid illa statueret, libellum intercessionis transmiserunt, quo significarent se obstare omnino ne bullam exsequerentur, et apud regem ipsum verbis acerrimis conquesti sunt de injuria (1).

Audacter enim asseverabant pontificem vano commentitioque indicio suæ voluntatis, quod ei factum esset, fuisse « obreptice et subreptice captum (2) »; proinde rogabant ut tributum a se concessum loco totius haberetur alienationis, et princeps polliceretur se bulla non usurum esse. Nec ea satis esse duxerunt, sed ad opem confugerunt Curiæ, enixe ab ea petentes ut jura privilegiaque Ecclesiæ gallicanæ, sicut anno 1576, modo solenniore confirmaret.

Civitas Parisiorum obstrepenti clamore et motibus, quos comitia sacra excitabant, tota turbata est; non pauci etiam, nimio studio incensi, ad Concilium totius Ecclesiæ provocarunt (3). Episcopus vero urbis asperius et injurio-

(1) Exspostulationes illæ, regi 4° die martii datæ, non transcriptæ sunt in annalibus Cleri, sed contractæ, pariter et verba principis, apud Guil. de Taix, *Mémoires des affaires du Clergé*, pp. 149-152.

(2) « Sa Sainteté, mal informée sous un donné à entendre que ledit Clergé auroit accordé plus avant, encore qu'il apparût du contraire par l'acte dudit secours accordé par iceluy Clergé, auroit Sa Sainteté par surprise fait expédier une bulle. » In libello provocationis ad Curiam. Omnia fere sequentia deprompsi ex opere jam laudato. *Procès-verbaux des Assemblées du Clergé*, de comitiis S. Germani a Pratis. Videas enim, inter Appendic. quæ pertinent ad eum conventum, hunc libellum provocationis, Append. VIII, et causarum intercessionis libellum, Append. X.

(3) *Appel comme d'abus*, ad futurum Concilium, in laudatis *Procès-verbaux*... I p. 377. Qua mente tum condicionem rerum existimarent, quibusve animi motibus moverentur Parisienses, satis diligenter aperit orator venetus; nam rumorem esse ait, fore ut bullam ad extremum clerici accipiant, additque : « Se bene in effetto è opinione universale, che havendosi a vender secondo la dispositione di essa, che è ragione di 24 per uno, che vuol dir poco più di 4 per cento, bisognera spogliare le chiese di francia dell'entrate più preciose et belle, con notabilissimo danno della riputatione et dell'ornamento loro. » In litteris 3[i] martis. Bibl. nat., Fonds italien, tome 1735, p. 4.

sius acceptus est, insimulatus immo quod res sacras perdidisset et commoda Ecclesiæ adduxisset in discrimen.

Princeps autem testatus est hæc sibi non placere, nec alienum animum Cleri, qui prava diffidentia Curiam in dominum ipsum invocaret; omnia ceterum acta esse sua voluntate, Parisiensem non auctorem, sed actorem et ministrum fuisse, quem itaque tanquam fidelem et diligentem haberet servum; se tamen tota publicatione permissa indigere, rem certam deliberatamque esse, nec igitur eam amplius in dubium incertumque revocari posse.

Nuncius vero pontificis magnopere pro sua parte curabat, ut jussa domini summa religione perficerentur. Sed curia, quæ comitiis indulgebat, concessit ut per oratorem causas intercessionis coram se ritu solenniore prius evolverent, quam in publicas litteras bullam referret : quod factum est VII° die martii. His auditis, Curia regi significavit bullam non sine maxima injuria posse accipi, potissimumque suasit ut res ad utilitatem Cleri accommodarentur. Princeps igitur benevolo animo cum clericis ea mente aliquot diebus egit, sed, cum illi negotium variis impedimentis traherent, jussit bullam in tabulas perscribi (1).

Illæ vero causæ intercessionis, ut patefactum est ex capitulis numero novem Curiæ propositis, in hoc unum veniebant quod, concesso jam a comitiis ea lege dono gratuito, ut ab illis disponerentur omnia, rex tamen et summus pontifex inter se consenserant ut Clero inscio novum imponerent vectigal, quod pro voluntate Delegatorum utriusque vices tenentium solveretur. Parvi autem momenti esse videbantur, et si hæc maxima putabant clerici crimina, et totum negotium ab eorum potestate et judicio ad Delegatos traduci, et alienationem, quam ad extremum illi abegerant, ad primum adduci locum.

(1) Ex eodem oratore, 17° et 31° martii die, *ibid.*, pp. 16 et 23.

Quod enim multo gravius erat, prioris tributi bulla nullam mentionem faciebat, illud etiam omittebatur in consiliis verbisque de controversia præsenti regiis, quasi plane præteriisset, resque haberetur confecta, quam altera jam exciperet.

Timendum erat itaque ne princeps, ut solebat, utrumque separatim exigeret vectigal. Non poterat vel minime in hoc inclinare mens pontificis, et vere dicebatur deceptus esse. Parvi vero referebat omnia vel ab eo, vel ab ejus oratore, ut consentaneum erat juri sacro, corrigi ad voluntatem clericorum, nam, cum tot oneribus sibi sine ullo emolumento indictis, ipsi, sicut ceteri gentis ordines, incenderentur, illud novum quominus sustinerent belli tributum non recusabant, sed hoc unum intendebant ut recte et ordine, id est suo arbitrio consilioque, impenderetur pecunia, non autem sicut antea ad omnem usum, aut etiam ad Sectariorum utilitatem.

Nec tantum judicabant alienissimum esse suo decore et Ecclesiæ dignitate vectigali, quod dolo, aut certe se amandatis, imperatum esset, his etiam temporibus, quasi vi et necessitate captos, assentiri; sed illud ante omnia habebant in mente, jura sua ita stabilire, ut nulla unquam in posterum pecunia sibi, nisi consensu suo, injungeretur. Certamen igitur ea mente cum rege et pontifice institutum sustinuerunt, nunquam vero bullam, sed res, quas continebat, ex aliqua tantum parte, receperunt. Nullo puncto temporis e memoria eorum excidit jusjurandum de non alienandis bonis Ecclesiæ bis datum, quod ceterum ipsi XIV° martii die confirmaverunt (1). Si vel paululum animadvertimus quantis impensis per viginti quinque annos gravati fuerint, quam inconsulte rex Henricus opes etiam sacras dissiparet, quam timide tandem hoc in Sectarios bellum, sicut et cetera, ageret, non admodum

(1) *Mémoires du Clergé,* IX, col. 1353. *Procès-verbaux...* I, p. 382.

incusandi sunt clerici quod providerunt ne illius inconstantia et levitate nimis vexarentur.

Satis jam scimus quæ regis esset voluntas ; hoc quærebat unum, ut quantam posset pecuniam quam citissime impetraret. Dignitatis tamen pontificiæ et regiæ multum intererat ad unum impleri quidquid bulla contineretur, aut saltem ex ejus legibus a Delegatis procurari quæcumque ad pecuniam a Clero tributam pertinerent. Sed ab hoc is eo magis abhorrebat, quod omnia de vectigali administrando jam propria auctoritate disposuerat, et descripserat pecuniam, quod insuper, cum alteram bulla concederet alienationem, et quidem tempore definito, id est post tres menses, inchoandam, nullus videbatur esse finis injuriarum et damnorum, modusque nullus pecuniæ constitutus erogandæ : novum itaque crimen pontificiis litteris illatum !

Maxime vero regem sollicitabat societas Cleri cum Curia, quam ut dissolveret, publice professus est sibi satis fore, modo servaretur bulla, quantacumque tribueretur a comitiis pecunia (1). De hoc igitur uno laboraverunt, ut illam constituerent pecuniam ; sed hoc primum concesso non contenti clerici, nec omnem suspicionem deponentes, ad id certaverunt cum rege, ut abstineret ab altera alienatione, cum Delegatis, ut acciperent descriptionem tributi factam in comitiis, admitterentque procuratores quos ad hujus modi omnia negotia delegerant eadem comitia, sinerent tandem se inspici et reprehendi potestatemque finiri pontificis.

Ut primum exsequeretur Clerus, senatores auxilium præstiterunt. Non poterant quidem, quamvis ad eum propensi viderentur, facere quin bullam in suas referrent tabulas : itaque admiserunt priorem alienationem, et decreverunt suppliciter regem deprecandum esse ut, dimissa

(1) *Procès-verbaux du Clergé*, *ibid.*, pp. 380, 382.

posteriore, pecuniam ex pactione cum Clero facta tantum acciperet (1). Ille vero, quasi suspicionem clericorum comprobare vellet, non annuit totum, sed, publico libello die VI° aprilis dato, statuit sibi satis esse, pro priore alienatione, vectigal a comitiis jamdudum erogatum, modo trecenta millia nummorum adderentur (2). Posteriorem igitur, quod sufficere duceret quæ ore promiserat, omnino prætermittebat venditionem. Eam tamen non est adortus, cum venit mense maio dies constitutus, quo licebat venalia bona proponere. Tota igitur bulla, ut decebat, in arbitrio remanebat posita pontificis et ejus procuratorum, in quibus unum clericis tunc erat auxilium.

Rogaverat etiam curia, quod Clerus cupiebat, ut quidquid ad res publicandas pertineret ab illo, servatis scilicet quæ jam disposuerant comitia, administraretur. Rex autem optatis assensus est, dum tamen illud fieret auctoritate Delegatorum, qui potestate propria provinciarum judices ornarent a conventu sacro creatos. Orator vero pontificis non probabat pecuniam ab eo descriptam esse, et postulabat ut iterum, consentiente Clero, sed domini sui potestate describeretur. Clerici vero, tractantes omnia præter bullam, quam, cum sibi non fuisset exhibita, pro nihilo habebant (3), quædam capita rogationis regi tradiderunt, ut ad Delegatos illa deferret, nam cum iis ipsis nolebant primum agere.

Princeps igitur, seu potius concilium regium, disceptator litis inter partes assumptus, quædam composuit e capitibus, sed mox clerici syndicos, concilio parum proficiente, ad Delegatorum colloquium miserunt. Hi tandem, brevi intermissa mora, non solum descriptionem pecuniæ confirmarunt, sed etiam scripto (4) polliciti sunt se non, nisi re

(1) *Ibid.*, pp. 384, 385.
(2) Libellus ibid. transcriptus, p. 389.
(3) *Ibid.*, p. 390.
(4) *Ibid.*, pp. 394, 395.

prius ad pontificem relata habitaque ejus sententia, exsecuturos esse posteriorem alienationem, quin hoc denuo injungeret papa. Et omnia in provinciis facienda permiserunt episcopis, a conventu ad id destinatis, vel eorum locum tenentibus, ut coram ministris regiis speculantibus omnia, nec quidquam agentibus, se gererent tanquam judices omnem potestatem habentes.

Omnia fere in summa convenerant ad utilitatem Cleri ; nam is non comprobaverat bullam, et ejus novi syndici, *Agents généraux du clergé* vocati, locum inter procuratores summi præsulis acceperunt, illisque semper affuerunt, ut apparet in mandatis XX° die maii datis, quæ fuerunt communi consilio cum comitiis disceptata, et a syndicis non alio quam a Delegatis modo obsignata (1). In quibus igitur mirum est quam fusius, ut omnis tolleretur locus calumniandi, cuncta explicarentur ; nonnulla insuper certiora iis, quæ jam præscripta erant superiore ætate, sunt adjuncta.

Sic enim describendam esse per procuratores Cleri in unaquaque diœcesi statuebant pecuniam, vel per eos quos ad hoc episcopus ipse curaret eligendos, quatuor ad minus viros, capitulorum aliorumque vicem gerentes clericorum, ut, in unum quasi concilium convenientes, cum beneficiorum dominis rationem solvendi pro commodo unius cujusque definirent, et ad ultimum, omni alia deficiente ratione, quas constituissent communi consensu, auctionibus præessent (2).

Hoc igitur maximum proficiebant clerici, quod res suas

(1) *Mémoires du Clergé, ibid.*, col. 1302-1321.

(2) « D'autant que Notre Saint Père n'a entendu accorder la permission de ladite levée, ni ledit Clergé la consentir que pour l'extirpation des hérésies, réduction et réunion de tous les sujets du Roi à la religion catholique, apostolique et romaine, et encore à la charge de ne rien aliéner du temporel de l'Eglise, sinon subsidiairement et tous autres moyens défaillans aux bénéficiers de payer leurs taxes ». *Ibid.*, col. 1304, 1305.

ipsi, inspicientibus tantum ministris, ne violarentur jura regis, aut leges regni, componerent; nam omnes a Clero præpositi negotio, apparitores humilioresque ministri, ita se jurejurando obstringere debebant coram episcopo, ne lædi sinerent Ecclesiæ privilegia, ut insuper accurate et vigilanter omnia publica instrumenta, contractusque venditionis colligerent, et collocarent in tabulario ad hoc in diœcesi tum parato. Singillatim ita plurimis utverbis, oratio fere satietatem faceret, numerabantur bona viliora resque mobiles, quæ possent conferri ad æs solvendum (1); immo licebat clericis, potius quam alia venderent bona, ex pretio immobilium nomen expedire denuo publicandorum, quæ jam anno 1563 alienata essent, modo priore in venditione tertia pars pretii fuisset amissa.

Omnia tandem, ne plura dicam, capita Bullæ, cum ipsa in incerto remaneret, edicebantur ut nova, totiusque Cleri Gallicani ea firmabantur auctoritate, ut appareret illa

(1) « Sera loisible vendre, avec le consentement des prélats, leurs vicaires et députés, de l'argenterie et autres meubles dont les églises se pourront commodément passer; pourront constituer rente sur le temporel et biens immeubles de leurs bénéfices, lesquelles néanmoins ils seront tenus racheter dans douze années; vendre par devant lesdits subdélégués des bois de haute-futaie ou vieux balliveaux de leurs taillis, jusqu'à la concurrence de leurs taxes, et non plus avant; vendre greffes et tabellionages de justices temporelles de leurs bénéfices, qu'ils érigeront en titre d'offices, ou engager, ou faire baux à ferme et à louage à longues années, ou en emphytéose, prenant argent d'avance, aliéner par échange avec supplément, vendre à faculté de rachat perpétuel; et où les susdits moyens défaudront, vendront telles portions ou pièces dudit temporel que lesdits commissaires aviseront les moins dommageables, autres toutefois que les principaux fiefs, principales maisons et manoirs de leursdits bénéfices, ni pareillement les villes fermées de murailles, gros bourgs et autres lieux insignes, dixmes, terrages, champarts, justices et patronages dépendans d'iceux; auxquels fiefs, maisons, etc., est enjoint auxdits commissaires et bénéficiers, sur peine de nullité, de ne toucher ni permettre qu'ils soient aliénés en aucune manière, mais seulement des rentes, censives, directes et portions du domaine d'iceux, si d'ailleurs il ne se trouve autre bien temporel appartenir auxdits bénéficiers. » *Ibid.*, col. 1307.

magis rem suasisse quam imperasse, nec valere nisi hoc modo, id est consensu Cleri, confirmata. Lites tamen judiciaque de minimis rebus venditis, omni provocatione, nisi fieret ad Delegatos, intercepta, in potestate ponebantur et jure syndicorum Cleri, a rege in unaquaque diœcesi constitutorum, res vero majoris momenti sub sua jurisdictione servabant Delegati.

Habemus igitur in istis præceptis opus auctoritate Cleri, non minus quam Pontificis potestate confectum. Ita clerici, postquam viginti quinque annos non parvo detrimento ab illis certatum est, huc reciderunt ut primum non publicarentur bona, sed e vectigali se possessores beneficiorum eo eximerent modo, quem sibi utilissimum esse putarent, deinde per procuratores decernerent quidquid pertineret ad illud vectigal. Quod etiam utrumque manifestius in lucem mittent alia præcepta paulo post, tributo novissime indicto, ab iisdem tradita. Longum tamen est dicere, quod iterum atque iterum factum est, quæ in vectigali cogendo gesta sint, sed melius nostro conducit argumento exponere quibus artibus clerici dederint operam, ne amplius pecunia, titulo nescio quo publicationis, sibi imponeretur.

Henricum sane regem non haberet satis cognitum, qui crederet ita confecta fuisse omnia ut clerici securi remanerent, neque princeps aliquid in eos auderet moliri, præsertim cum bullam in controversia reliquisset, quæ facultatem iterum alienandi sibi servaret, et illam seposuisset ut ea, data occasione, uteretur. Quæ propediem fuit occasio, sed cum res in Cleri commodum cessissent, prudentis erat iterum confugere ad auctoritatem Summi Pontificis, quæ fuerat quidem interposita, sed in præsenti controversa jacebat.

Eum igitur oravit princeps ut, maximo militum exterorum concursu Galliæ cladem omnem minitante, alienationem permissam his arcendis posset adhibere. Sixtus igi-

tur Papa misit XXX° julii 1587 die bullam aliam, ad eosdem præsules qui fuerant in superiore designati, non vocatis tamen canonicis, etiamque ad Syndicos Cleri, ut, servatis quæ fuissent in proxima bulla præscripta omnibus, bona sacra publicarent ad eamdem pecuniæ summam. Bulla statim XXI° augusti die, propter instantem necessitatem, et præter libellum intercessionis a Syndicis renitentibus datum, in tabularium Curiæ relata est (1).

Syndici tamen animo non conciderunt, sed cum meminerint Cleri pecuniam non semel, ut iidem milites divitiis augerentur, interceptam esse, ratione qualibet providerunt, ut clerici bullæ repugnarent. Quare, ab illis impulsæ, nonnullæ diœceses provinciarum Rhemensis, Senonensis, Rothomagensis, Papæ litteris intercedentes, in memoriam revocaverunt jusjurandum de non probandis venditionibus pluries datum, multaque alia exprobraverunt. Immo contumacia clericorum tantum invaluit, ut procuratores pontificis, inter se non consentientes, discederent in duas partes, numero pares; nam cardinalis a Guisio duoque Syndici quodlibet tributum acerrime respuerunt, ita ut fere provocarent ad futurum Concilium, secundum morem Ecclesiæ gallicanæ; Borbonius vero cardinalis, nuncius Papæ, Parisiensisque episcopus, clementiores regi quoquomodo succurendum esse censuerunt (2).

Quam controversiam ut dirimeret, princeps confugit ad pontificem, qui, litteris in forma brevium II° die novembris datis, rem quatuor canonicis (inter quos illi Regnart et Broé, quos sæpe nominavimus,) mandavit cum facultate omnium, episcopis etiam deficientibus, exsequendo-

(1) Varia instrumenta, quæ laudamus hic et infra, in codice reperiuntur quodam de rebus Ecclesiæ, apud Bibl. nat., Fonds Dupuy, 543, f^{os} 177-185, 203-206, 213; bulla autem apud *Mémoires du Clergé*, col. 1321-1324.

(2) Hæc præclara de litteris veneti oratoris deprompta, 22° et 28° octobris diebus datis. Bibl. nat., Fonds italien, cod. 1736, pp. 218 et 229.

rum, et pecuniæ per provincias describendæ. Lis igitur composita est, nam septem Delegati (1), superatis tribus qui intercedebant, pecuniam descripserunt secundum bullam, ut res quamprimum venderentur.

Contenderunt etiam se litteris papæ liberari jurejurando quod dederant, sed, cum non minus contumaciter in provinciis se gererent clerici, sæpe convenientibus in unum præsulibus aliisque clericis regiæ concilioque supremo addictis placuit pecuniam, ne venderentur bona sacra, ex licitandis Coactorum Scribarumque ad decimas officiis *(vente d'offices de Receveurs alternatifs et contrôleurs de décimes en chaque diocèse)* colligi. Regi etiam res placuit, sed, cum existimaret sibi non satis esse quadringenta quæ offerrentur nummorum millia, sexcenta millia voluit accipere. Litteræ igitur ad provincias a Syndicis scriptæ sunt, ut mitterentur procuratores, qui summa potestate de toto negotio decernerent, aut saltem confirmarent venditionem officiorum (2).

Multum quidem aberat ut omnium provinciarum clerici idem sentirent, nam Rhemensis clerus qui, gratia cardinalis a Guisio, totus fere in Colligatorum partes transierat, gentisque Lotharingæ semper studiosus erat, cum Rhemos mense decembri convenisset, onera obstinate exploserunt clericis imposita. Non minus in aliis locis, licet leniore sermone, vehementer reclamatum est; alii vero aliud censebant, pro sua cujusque utilitate, nec adeo unquam inter se dissenserant Ecclesiæ gallicanæ clerici. In summis enim angustiis res erant Galliæ, quam undique premebant hostes, omnibus vacuam opibus, ab innumeris expilatam exterarum gentium copiis.

Multi igitur, Rhemenses etiam, Guisiorum clientes, non abhorrebant a quovis tributo, præter alienationem (3). Du-

(1) Ex ejusdem litteris 24ª novembris 1587. *Ibid.*, p. 268.
(2) Bibl. nat., ex codice jam laudato, f^os^ 177, 203, 204.
(3) *Nunziatura di Francia*, in cod. 28, litteris nuncii 11º janua-

bium autem non erat quin omnes pariter huic adversarentur, nunciusque ipse, qui principi, Summi Pontificis nomine, significabat domini sui mentem esse ut omni ope, bonorum exclusa venditione, illi subveniret (1). Etsi igitur libelli procurationis videbantur incertis verbis scribi, hac in omnium consensione rex falli non poterat, nec ideo pertinaciter rerum urgere publicationem, præsertim cum nimia in exteros milites indulgentia, qua nuper illorum recessum (hic enim rumor undique serpebat) pretio consecutus esset, pontificis etiam a se voluntatem alienasset. Non igitur certatum est illum inter et Cleri procuratores, nisi quanta et qua ratione solveretur pecunia.

Sed non est causa cur amplius negotio immoremur, quippe quod ad pecuniarium reciderit tributum ; sed cum deceret morigerari pontificis voluntati bulla declaratæ, alia Delegati XXVII° die augusti 1588 dederunt mandata, quibus constituebant quo ordine compararetur in provinciis pecunia (2). Insuper legibus, quæ antea datæ erant, postremum renovatis, confirmatis et in unum coactis, mentem pontificis, totiusque Cleri Gallicani simul firmissimam voluntatem, edicto, quod nunquam posset violari, adeo definierunt ut non, nisi utriusque consensu jure dato, vendi liceret bona sacra.

Cetera vero, quæ decernunt tantum officia Coactorum et Curatorum, maxime quidem fructuum decimæ partis,

rii 1588 datis, p. 36 ; sunt quidem verba cardinalis a Guisio nuncium allicientis. Præterea nonnulla refert in proximis litteris orator Papæ, et transcribitur ibidem, pp. 53-55, libellus de variis modis sublevandi regis, in conventu Senonensi conscriptus.

(1) Nunz., *ibid.*, p. 59, ex litteris 18ª januarii.

(2) Quinque et quadraginta capitibus instructum, *Mémoires du Clergé*, tome IX, col. 1325-1346. In proœmio vero sic fertur : « Suivant lesquelles commissions les commissaires subdélégués en chacun diocèse procéderont à l'adjudication des choses que les bénéficiers exposeront, afin d'être échangées, engagées, baillées à ferme à longues années ou emphytéose, vendues à faculté de rachat perpétuel et subsidiairement. purement et simplement pour satisfaire à la taxe de leurs bénéfices ».

quæ tum dicebatur *décime*, exactione (1), redimenda esse, non veniunt ad rem. Compertum est enim, quod satis esse putamus, ex ratione agendi pontificis et Cleri, statutum esse in perpetuum (cum in angustiis temporum asperrimisque rebus, in quibus versaretur Gallia, non publicata essent nisi dominorum arbitratu viliora quædam, obsoleta et quæ parum prodessent,) alienari non posse bona præstantiora, sive feodalia, sive castella, sive quælibet immobilia.

Quam longissime igitur aliquot annis, et quidem in melius, processisse vidimus Ecclesiam gallicanam, si attendimus facinora regiorum, qui tot bona impune et injusta licitatione disperdiderant, aut etiam illa venditionis negotia, quæ cardinales, studiosi regiæ voluntatis, et languidius curantes utilitatem querelasve clericorum, propria pontificis potestate gesserant !

(1) In primo capitulo legimus : « Délibéreront s'il est expédient audit diocèse, pour la conservation du fonds temporel de l'église, soulagement des bénéficiers, et plus facilement venir à la suppression des offices de receveurs alternatifs et contrôleurs des décimes établis en chacun diocèse, de consentir la réalisation ou nouvelle imposition de décimes..... pour ce que notre Saint-Père..... » Deinde verba refert, quæ jam laudavinus, p. 82, note 2.

CONCLUSIO

Hactenus venit illa rerum Cleri perturbatio, nec videmus unquam a regibus tentatam esse deinde ullam alienationem. Certum est enim vero maximas profecto copias temporibus difficillimis exactas esse a clericis, cum omnia Sectarii turbarent et læderent jura Ecclesiæ, sed illas libenter solutas esse, nec publicatas res sacras, nisi pontificum consensu primorumque Cleri. Sed postquam pecunia dissipari cœpta est, nihil tamen quicquam profecit, et ad utilitatem amicorum regis injuste consumi, clerici reclamantes in procerum auctoritatem insurrexerunt.

Nunc vero quid ex dictis sequatur nobis agendum. Scimus autem multa bona, etiam maximi pretii, et ex iis quæ vocabantur feodalia, sive jura, sive alia quæ sæpe nominavimus, amissa fuisse ; itaque liquido patet non parum immutatam esse ordinis clericorum condicionem, et sive civilium, sive publicarum in Gallia rerum rationem. Nam, cum illa vetera duxissent clerici privilegia, de quibus sæpe diximus, a sua condicione, vel temporibus antiquissimis Ecclesiæ, vel per « feodalitatem », ut aiunt, quæ antiqua illa tempora excepit ; cum insuper ex ordine veteris omnes nascerentur nobilitatis, qui validior etiamtum manebat et, crescente etiam regum potestate, sive dominii aut vitæ civilis juribus, sive quadam plurimum pollebat in rebus publicis potentia, sacer ordo viribus, et quadam rerum societate, hanc supremæ potestatis temperationem, ut regum circumscriberetur auctoritas, confirmabat.

Emptores vero, quorum in possessionem venerunt bona juraque feodalia tum alienata, titulos etiam nobilitatis, favente principe, consecuti sunt, et novum in patriciorum ordinem, regibus prorsus addictum, transierunt. Sed hac condicionis decessione debilioribus factis, majora tamen secunda clericis evenerunt, et adeo vires auctæ sunt Cleri ut in unum corpus validius coalesceret, meliusque res suas et Ecclesiæ perageret.

Vidimus enim eum in Sectarios, in regem et ministros, in cardinales etiam, et optimates regis studiosos consurrexisse, tandem in ipsum summum pontificem procuratoresque ejus, ne sineret bona sua dissipari. Merito quidem ab anno 1576, cum, Henrico regnante, nullus finis nullusque modus fieret, vel bonis vendendis, vel tributis exigendis ; cum quindecim proximos annos maximam regi numerasset pecuniam, quam ex rationibus ab ipso Clero perscriptis, et a Concilio regio comprobatis, constat supra fuisse sexcenties centena millia francorum (1) ; cum præsertim hæc pecunia jam non in exstinguendis consumeretur sectariorum nefariis doctrinis, sed in augendis militum externorum, qui Galliam et Ecclesiam oppugnabant, opibus et viribus ; primum clericos injuriæ pertæsum est, et eorum benevolentia imminui cœpta est. Timendum enim erat ne in statum adeo pejorem venirent ut, omnibus destituti rebus, impares essent qui condicionem primi ordinis in regno sustinerent.

Itaque, præeuntibus Syndicis rationemque totius concertationis præscribentibus, omnes ab anno 1578 fere clerici concurrerunt, et primum confuse, etiam præter

(1) Apud Bibl. nation., Fonds français, in cod. 15.746 procemio, subducuntur a Syndicis, credimus quidem, varia tributa, cum alienatarum rerum pecuniis, a Clero soluta ab anno 1561 ad 1574, ad summam 54.741.257 franc. 6 solid. 3 denar., vide f° 18, et pro duobus annis 1575 et 1576, ad circiter 9.370 millium francor., f° 22 ; et f°s 22-31, hæc tributa fere omnia confirmantur vera esse a Concilio regio.

decus reverentiamque principi debitam egerunt. Scimus tamen multo magis arduum jam factum esse, et multum tardatum venditionis opus. Sed cum in conventu Milodunensi vires contraxissent clerici, et omne præsidium comparavissent ex multis præscriptis variisque procuratorum collegiis, quæ tum instructa sunt, prorsus deinde sibi confiderunt, adversariisque tot et tantis pares facti, illud inire potuerunt certamen de suscepta anno 1586 alienatione.

Sed nostrum non fuit explanare, qua arte quave ratione se ipse componeret Clerus, qua vi etiam arcte inter se cohærentes, clerici res suas deinde gererent ; hæc enim propter causas multas evenerunt, quæ nostrum exsuperant argumentum, et ad annales potius pertinent hujus ætatis. Sed videamus in primis, quod nostra proprie interest, quid insuper in hac nova clericorum quasi civitate factum fuerit de bonis Ecclesiæ.

Quanquam enim illi, pro sua quisque parte, fructuum domini tantum sicut antea remanebant, tota tamen Cleri societas jus dominii verum in ipsa bona consecuta erat, quo deinde usa est, sub potestate quidem pontificis, sed superato regis ipsius jure. Tres igitur erant domini bonorum sacrorum, et hoc proprium erat Galliæ, in nulla vero vigebat alia Europæ provincia. Papa, cum summum jus retineret, jam non poterat re vera cum uno e duobus aliis, tertio repugnante, consentire, ut bona venderentur, aut unum cum alio commutaretur, aut etiam mutaretur in melius. Princeps vero, etsi nunquam totum dominii jus sibi vindicare desistebat, habebatur ut tutor, defensor clericorum bonorumque custos, non ut possessor proprius.

Quod ad Clerum spectat, jus, quo fruebatur, potius *repulsæ* dici poterat, quam plenæ potestatis, nam nec a rege, nec a summo pontifice, alienari poterant bona saltem ampliora, nisi concessu totius Cleri in unum congregati. Hic novum jus non erat consecutus, sed potius illo-

rum definierat jura. Nullo modo sane fuit immutata ratio agendi antiqua, quin etiam proximis inter clericos, regem et pontificem, quæ laudavimus pactis confirmata est, nempe ut res quædam et minimi valoris, quæ vocabantur *viliores*, ad temporis necessitatem, vel utilitatem peculiarem, accedente regis auctoritate, venderentur ; præstantiores vero pariter quædam, quæ præsertim pars essent insignis bonorum Ecclesiæ, nonnisi cum, consensu pontificis, possent publicari. Sed omnia simul bona, ut quæ constituerent patrimonium Ecclesiæ, modo quem diximus concesserant in ditionem Cleri.

Nec dicatur illud parvi esse momenti, nam præterquam quod reges non amplius ausi sunt quidquam pro sua publicare utilitate, quia videlicet, fatemur, nunquam iterum venit illa necessitas extrema, in quam inciderant XVI° sæculo res vel publicæ, vel Ecclesiæ ; nonne ex ipsa eorum perpetua ratione agendi, sicut et ex plurimis regiis decretis, quæ per motus ejusdem ætatis civiles solenniter bona sacra vendi non posse statuerunt, nonne tacita quidem, sed vera consensio orta est, et quasi contractus inter principem et clericos, quo sanciretur ut quoddam jus dominii, quod non exsisteret quidem in ceteris Europæ partibus, penes Clerum esset Galliæ.

Eadem pariter et multo firmius ex edictis pontificum colligere possumus. Sicut a peritissimis rei publicæ, et ab ipsis regibus tradebatur, ut præcipuum et stabilissimum juris in regno publici caput, ita propria dignitate principes obligari, ut non possent quæ semel promisissent, et curia retulisset in suas tabulas, amplius ab ipsis violari, ita privilegium Clero rite concessum, a Pontifice tacite firmatum, non erat in controversiam adducendum, et perpetuo scriptum remanebat in jure sive civili, sive sacro. Eo sanè modo sunt interpretati deinde jus illud senatores curiæ, et omnes quorum erat leges explicare.

Ne plus justo moremur, neve rem in majus extollamus.

Nunquam enim prætermiserunt legum periti consiliariique regis, quin disputarent ejus esse supremum in bona sacra dominium, sed, confirmata tot tantisque edictis vetere scholarum disciplina, et ad formam regni curamque rei publicæ accommodata, non licebat illa bona in publicum addici, quin violaretur jus clericorum et ipsæ leges regni. Hoc manifesto comperuimus, necessitatis publicæ rationem aliquam et Clerum et Pontificem semper habuisse. Concludamus igitur, bona sacra, quorum custodiam Clerus retinebat, ad commune commodum, sicut et ad utilitatem Ecclesiæ reservata esse, sed in potestatem custodis, pro ejus dignitate primique condicione in regno ordinis, pro juris publici religione, pro imperii institutis, ita venisse, ut dominium neque a clericis, neque a rege, neque a pontifice, sed ab his tribus tantum inter se consentientibus mutari posset, sicut et rerum sacrarum magna pars alienari.

VIDI AC PERLEGI

Lugduni, ante d. sextum kal. febr. anno MCMI.

Facultatis Litterarum in Universitate
Lugdunensi decanus,

L. CLÉDAT.

TYPIS MANDETUR :

Lugdunensis Academiæ Rector,

G. COMPAYRÉ.

APPENDIX

I. — COMMISSION ADDRESSEE AU PREUOST DE PARIS OU A SON LIEUTEN^{t} CIUIL

po^{r} le départem^{t} de ce que le Roy a ordonne que portera tous les dioceses en la charge de la Tresorerie de France establie à Paris

(page 15)

Charles au preuost de Paris ou son lieuten^{t} salut. Les affaires esquelz nous sommes reduitz a raison des esmo^{ius} (*sic*) aduenues en n^{re} roy^{me} sont cause po^{r} nestre encores icelles en totalle tranquilite, ny plusieurs estrangers reistres allemandz, italiens et anglois retirez hors n^{re} roy^{me} que nous sommes contrains dy entretenir plusieurs grandes forces tant de la nation dicelluy que de Suisses almandz et reistres, et po^{r} satisf^{e} a cette despence y ayant ja emploie touttes noz f^{ces} ord^{res} et extr^{res}, vendu et aliene plusieurs fermes de noz aydes et greniers a sel jusques a la somme de trois cens mil liures de rente annuelle sur les deniers a no^{s} accordez par le clerge de leglise de n$^{red.}$ roy^{me}, emprunte grosses sommes de deniers tant de plusieurs princes estrangers daucunes villes et seig^{ries} que de plusieurs de noz subjectz, et encore nont peu tous lesd. moyens satisfaire ausd. despences, de sorte quil a fallu, de ladueu toutesfois de n^{re} tres honore dame et mere des princes de n^{re} sang et autres grandz et notables personnages de n^{re} conseil priue vouloir et consentement de plusieurs gens deglise de n$^{red.}$ roy^{me} pays terres et seig^{nes} de n^{re} obeissance, que nous ayons ordonne estre faict vente et alliena^{on} des maisons seig^{ries} fiefz justices cens rentes terres prez vignes bois et autres heritages et biens immeubles appartenans aux archeuesques euesques chapp^{res} et communautez des eglises de n$^{red.}$ roy^{me} jusques a la somme de cent mil escuz sol de rente et reuenu annuel, et de ce faict certain edict qui a este leu et publie en noz courtz de parlement chambre des comptes et court des aydes a Paris et autres lieux ou besoing estoit, po^{r} la seurete des acque-

reurs desd. choses et de leurs hoirs successeurs et ayant cause, ne restant plus que de faire procedder a lexecu^{on} dicelluy, Nous po^{r} la parfaicte et entiere confiance que nous auons de vous et de voz sens suffisance experiance et bonne dilligence, vous auons commis et depputte commettons et depputtons par ces p^{ntes}, vous mandons et enjoignons que vous ayez incontinant icelles receues a f^{e} publier et proclamer a cry public et par affiches aux lieux accoutumez de v^{re} ressort que touttes personnes qui voudroict acquerir des biens temporelz desd. gens deglise commanderies et autres ordré et sans aucuns en excepter, fors de ce qui appartient aux curez ordres des mendians et des religieuses, et les lieux et manoirs esquelz sont scituez les eglises et le lieu principal desd. beneficiers ausquelz appartiennent les biens dont il sera question, et que ce quon voudra acquerir nexcedde pas la quarte partie du reuenu temporel dud. benefice, ayent a eulx retirer au greffe de v$^{red.}$ preuoste et illec prendre et obtenir com^{on} de vous po^{r} contraindre tant le beneficier auquel appard^{ra} led. bien temporel que l'on voudra acquerir que tous notaires fermiers et receueurs desd. lieux apporter les pappiers et enseignem^{t} concernant tant la veriffica^{on} de la valleur annuelle dud. bien, soit en domaine rente justice censiue champartz ou autres quelzconques droitz et debuoirs y appartenans, ne voulant que telle com^{on} puisse estre impetree dautres que de noz baillis sen^{aux} juges ord^{res} ou leurs lieut^{s} au ressortz desquelz sera assize lad. eglise principalle du benefice auquel appar^{dra} le bien que lon voudra acquerir, ny que lesd. greffiers puissent prendre po^{r} lexpedi^{on} de lad. com^{on} plus de deux solz tz., laquelle valleur annuelle vous jugerez et arbitrerez par une annee commune du reuenu de six annees dernieres passees, assistant po^{r} ce faire auec vous ung notable personnage tel que leuesque diocesain ou son vicaire voudra commettre, lequel nous exortons de ce faire po^{r} assister tant ausd. evalua^{ons} quaux adjudica^{ons} qui seront par apres par vous faictes, et a cette fin aduertirez led. euesque diocesain ou ses vicaires quilz ayent a commettre pour cettuy effect tel personnage qui bon lui semblera dedans huict^{ne}, laq^{le} expiree sera par vous proceddé nonobstant labsence dud. personnage ou cas que led. euesque ou ses vicaires fussent refusans ou dilayans de ce faire, leq^{l} personnage ecclesiastique tiendra reg^{re} de tout ce qui sera vendu et po^{r} quel pris, tant po^{r} esuiter quil nen soit vendu po^{r} plus grande some^{e} que celle qui est portee par lestat gn^{ral} du departem^{t} faict de lad. so^{e} de cent mil escus de rentes sur to^{s} les dioceses de n$^{red.}$ roy^{me} et pays de n^{re} obeissance, dont lextraict de lad. cottisation dud. diocese estant en v^{re} jurisdiction est cy attache soubz le contrescel de n^{re} chan^{rie}, qu'aussy pour veoir quelz deniers prouiendront de ce que sera vendu ; et seront lesd. ventes et adjudica^{ons} faictes aux condi^{ons} q^{e} les terres seig^{ries} et autres biens de leglise qui seront vendus seront a ladue-

nir tenus et mouuans de nous a cause du lieu auquel sera lad. haute justice soubz laquelle il sera assis, et ce a pareilz et semblables droictz et debuoirs que les autres fiefz mouuans de no^{s} a cause dud. lieu dicelle jurisdiction nous doibuent, et ne seront les acquereurs desd. terres subiectz paier a nous ne a autres aucuns droits seig^{aux} po^{r} raison desd. acquis^{ons} premieres, ne icelles terres subiectes a payer aucunes dixmes excepte toutesfois celles qui en payent a p^{nt} aux curez du lieu vendu ; voulans quen vertu des com^{ons} de vous ou vosd. lieuten^{s} lesdictz beneficiez leurs vicaires et fermiers et tous notaires et tabellions de quel que ressort et jurisdiction quilz soient soient contrains comme po^{r} noz propres affaires de declarer et affirmer la juste valleur des choses quon veut achepter et apporter aud. greffe ou deliurer a ceux qui le requereront dedans le temps que le^{r} sera limite non exeddant huict jo^{rs} po^{r} le plus lesd. lettres tiltres et papiers et enseignemens seruans tant po^{r} veriffier la valeur de lheritage ou au^{e} bien que lon voudra acquerir que au^{es} droitz et debuoirs appartenans aud. heritage deppendant de leurd. benefice, et que si lesd. beneficiez veullent en ce user de longueur ou subterfuge que vous informiez doffice de la valleur annuelle des biens dont sera question et le plus sommai^{ent} que f^{e} ce pourra, toutesfois en p^{nce} dud. depputte du clerge ou icelluy suffisamment appelle et de n^{re} procureur et aux despens raisonnables de celluy auquel lheritage ou autre bien sera adjuge, et que lad. euallu^{on} et valleur annuelle jugee et arrestee celuy qui voudra acquerir encherisse lheritage ou autre bien dont sera question sur le pris du denier vingt cinq si ce nest bien roturier et ce po^{r} le moins, que lad. enchere soit publiee au juge de v^{re} jurisdiction icelle tenant et apres mises par affiches en la ville principalle dicelle jurisdiction et pareillem^{t} au lieu et parroisse auquel sera assis led. bien et revenu aux signific^{ons} que nous voulons, et entendons que touttes personnes qui y voudront mettre enchere y seront reuenu au jour de la huict^{ne} lors ensuiuant icelle publica^{on} et que led. bail et adjudica^{on} en sera faicte led. jour en lauditoire ord^{re} de v^{re} ressort et jurisdiction, aduenant laq^{le} huict^{ne} assistant ou deuem^{t} appelle led. delegue de leglise auec vous aud. aud^{re} ferez de nouueau proclamer lad. adiudica^{on} recepurez touttes personnes mesmes led. beneficier auq^{l} appar^{dra} led bien si bon luy semble a iceluy encherir, et finablem^{t} touttes solemnitez en tel cas accoustumees gardee et obseruees en ferez vente et adjudica^{on} la chandelle allumée au dernier encherisseur a lextinction du feu de lad. chandelle; et lesquelles ventes alliena^{ons} et adjudica^{ons} a perpetuitte voulons estre faictes par vous en n^{re} nom auec touttes telles promesses et asseurances de garantie que les acquereurs voudront auoir et leur seront necessaires, avec declara^{on} de par nous que les deniers qui en procedderont seront emploiez au payem^{t} des frais de la guerre qu'auons este et sommes contrainctz de soustenir tant pour

la deffence de n^{re} estat que po^{r} le repos public de nos subjectz et non ailleurs; ausquelles encheres ne seront receus que personnes soluables, et au cas que aucuns demeurent en arriere de fournir dedans le temps cy apres declaré les deniers de leursd. encheres seront telz folz encherisseurs contrains au payem^{t} de ce que montresront (*sic*) leurs folles encheres promptement et comme po^{r} noz deniers et affaires; apres laq^{le} adjudic^{on} celuy auquel elle sera faicte sera tenu fournir les deniers dicelle adjudica^{on} ez mains de n^{re} receueur gn^{al} en lestendue duquel sera situe lad. jurisdiction dedans six jours après quelle sera faicte et en retirer et prendre quictan^{ce} signee par led. receueur gn^{ral} et controllee par le controlleur gn^{al} et encores paraphee par le tresorier de la charge qui sera tenu en faire reg^{re} po^{r} de quinze jours en XV jo^{rs} nous aduertir de tous les deniers que n$^{red.}$ receueur gn^{al} aura receu a cause desd. ventes et alliena^{ons}, desquels aduertissem^{s} et estatz qui seront enuuoyez par noz tresoriers de France les intendans de noz finan^{cs} tienderont aussi reg^{re} po^{r} rendre raison a toutte heure quil sera requis de tout ce qui aura este receu a cause desd. ventes et allien^{ons} et obuier quil nen soit vendu plus que po^{r} lesd. cent mil escus de reuenu annuel; feront aussy nosd. receveurs gn^{aulx} chapitres par^{iers} en leurs estatz et comtes des deniers quilz recepuront a cause desd. vendi^{ons} et les tresoriers de n^{re} espargne estatz et comptes par^{iers} des deniers quilz recepuront desdictz receueurs gn^{aulx} prouenans dicelle vente et adjudica^{on}, affin quon puisse connoistre quelle so^{me} en sera prouenue et en quoy elle aura este employee et a ce que ch^{un} et mesmes ceux dud. clerge puissent entendre et connoistre que les deniers qui procedderont desdictes ventes et alliena^{ons} seront emploiez aux frais necessaires po^{r} le faict de lad. guerre et non ailleurs, leur auons permis et permettons de commettre et establir ung personnage tel quilz vouldront pour controller et tenir reg^{re} de tous les mandemens et ordonnance qui seront expediez po^{r} la despence et distribu^{on} desd. deniers qui procederont desd. ventes et alliena^{ons}. Sy voulons et vous mandons que aud. negoce et affaire vous ayez a procedder vacquer et entendre par la manière dessusd. le plus tost et a la meilleure dilligence que faire ce pourra, de ce f^{e} vous auons donne et donnons pouuoir com^{on} et mandement sp^{al} promettant en bonne foy et parolle de roy par ces p^{ntes} signees de n^{re} main auoir agreable tenir ferme et stable a tousiours tout ce que par vous sera sur ce faict selon et ainsy que dessus est dit, voulons ordon^{ons} et nous plaist le tout seruir et valloir ausd. achepteurs leurs hoirs successeurs ou ayans cause et comme si faict auoist este par vente et adjudica^{on} de nous ou de lune de noz cours souueraines, et quant ace auons les lettres contratz proclama^{ons} ventes baulx et deliurance que sur ce vous ferez validez et authorisez validons et authorisons par cesd. p^{ntes} en mandant et enjoignant aux gens de noz courtz de parlem^{t} de noz comtes et de noz aydes tre-

soriers de France et a tous noz autres justiciers et officiers et a ch^{un} deux de maintenir garder obseruer et conseruer tous lesd. acquereurs ez possessions jouissances et deliurances qui par vous leur seront faictes par la maniere que dessus et comme il est contenu et declare par nosd. lettres dedit sans souffrir ny permettre aucun trouble ou empeschem^{t} leur estre faict au contraire, et lequel si faict mis ou donne leur estoit ostent et mettent ou facent oster et mettre incontinant et sans delay a plaine deliurance ; et po^{r} ce que contre lexecu^{on} desd. p^{ntes} pourront estre formees plusieurs opposi^{ons} et appela^{ons} interjettes nous voulons et ordonnons que nonobstant icelles vous ayez a passer outre a lexecu^{on} et entier accomplissem^{t} du contenu en icelles p^{ntes} et de tout ce qui en depend, desquelles opposi^{ons} ou appella^{ons} nous auons interdit et deffendu interdisons et deffendons toute les jurisdiction et connoissance a touttes noz cours soueraines et au^{es} juges quelzconques sur peine de nullité de faulx de tout ce qui seroit ou pourroit estre parfaict et entrepris contre nos p^{nts} vouloir et ordonn^{e}, et icelle juridiction et connoissance auons retenue et reseruee a n^{re} personne po^{r} estre juges et decide dicelles opposi^{ons} et appella^{ons} en n^{re} priue conseil et non ailleurs, car nonobstant comme dessus et quelzconques ordonn^{es} restrinctions mandemens deffences et lettres au contraire mandons et commandons a tous noz justiciers officiers et subiectz qua vous en ce faisant ilz obeissent et entendent dilligemment et po^{r} ce que de noz pn^{tes} lon pourra auoir aff^{e} donne a Paris le XXVI^{e} jo^{r} de may XV^{c}LXIII signees Charles, et au dessoubz par le roy estant en son conseil Burgensis.

II. — BULLE DU PAPE PIE V

(page 36)

Pius ep^{s} seruus seruorum dei dillectis filiis Carolo sancti apolinaris a lotharingia et Carolo sancti Chrisogoni titulorum Borbonio nuncupatis Cardinal^{s} presbiteris ac nostro et apostolicæ sedis in partibus illis nuntio, nec non venerabili fratri archipiscopo senonenci salutem et apostolicam benedictionem. Majore quotidie animi dolore conficimur intuentes rempublicam Christianam cumulatis undiq^{e} miseriis et periculis agitari ; multo etiam gravius quod conspiciamus istud Galliæ regnum catholicæ ecclesiæ columen presidiumque firmissimum ex tam grauibus et diuturnis cladibus ab impiis consceleratisq^{e} hominibus impositis rursus in dubia et formidolosa belli discrimina recidisse, siquidem post deportatos nuper ex gallia peregrinos exercitus cum hæreticæ et seditiosæ factionis principes intelligerent Germanos jam suas ad bellum belgicum copias flumen Rhenum transduxisse et in sicambrorum Menapio-

rumq^e finesconsedisse multitudinemq^e militum ex germania colligere, ne paratam hanc nouam occasionem amitterent neue cunctando impia sua consilia euanescerent regnum rursus agitandum miscendumq^e rati conscriptas in omni gallia copias suas ut in agros Sanctonum toto regno feracissimos repente conuenirent submonuerunt, quo in itinere omnia passim loca cruentis piorum omnis etatis et sexus hominum a cedibus et rapinis inquinantes sacra diripuerunt, dei sacerdotes diris cruciatibus extinxerunt, violato item hospitii necessitudinisque fœdere quam plurimos specie pacis interceptos secum vinctos abduxerunt; coacto deniq^e ad rupellam munitissimum oppidum maritimum valido exercitu Angolisimum et multas alias urbes ad deditionem vi et armis coegerunt, impulsores preterea in angliam germaniam et ad principes regulosq^e accolas submiserunt qui alios ad certissimam patentis Galliæ prædam reuocent, alios ad occupandam illius possessionem, alios suis quemq^e stimulis ad communem perniciem commoueant, jamque majores ex ipsa germania motus exaudiri renuntiantur; cuius rei imprimis causa charissimus in Christo fillius noster Carolus francorum Rex Christianissimus explosis omnibus de religionum diuersitate decrætis quæ humanis antea consiliis proposita fuerant ut afflictus populus pacificationis cuiusdam beneficio aliquo pacto frueretur, quanquam ex graui morbo nondum recreatus, omni spe in dei optimi maximi misericordia reposita, unicam deinceps religionem catholicam videlicet Romanam a majoribus suis receptam et omni tempore obseruatam in uniuersum colendam, omnes vero impietatum administros regno suo exigendos sanctissimo præconio edixit, ac simul reuocatis ad internecionem hæreticorum et perduellionum viribus reparatoque ut potuit lasso iamdiu et infracto ad prælia exercitu, recta ad illos properare contendit; cui nos subcidium qualecumq^e omni ope curauim^s et quantum in nobis est suppeditari adnitimur, sed quoniam nec apud nos nec istic ex omni fisci regni prouentu vectigalibusqu^e et cæteris rebus iampridem accisis ulla ratio iniri potest qua tantus exercit^s tam necessario tempore tamque infestis inimicis diutius sustentari et simul oppida præsertim finitima communiri delectus equitum et expeditorum militum haberi possit qui per prouincias dispositi etiam extraneos si vim quoquo versus facere conentur celeri concursu prohibeant, nos nullum aliud presentaneum remedium habentes ad Christi peculium cuius etiam causa agitur quamquam ægre, eodem tamen rege id a nobis per literas et nuntios vehementer expetente, conuersi auxilium de ecclesiæ patrimonio etsi iam satis alias tentato tempestiue comparandum statuimus; qua in re nos fide et prudentia vestra freti hanc curam vobis delegandam decreuimus ut vestra opera et consiliis omnia æquato omnium jure ac minore quo poterit incommodo transigantur. Itaq^e de nobis attributæ potestatis plenitudine

vobis per apostolica scripta mandamus ut, adhibitis aliquot spectatæ probitatis et fidei prelatis aliisq^{e} grauib^{s} viris rerum usu peritis, solum deum præ oculis habentes de qualitate statu et valore omnium bonorum ecclesiasticorum dicti regni et dominiorum prædicto regi subiectorum etiam per alios fideles et idoneos diligenter inquiratis et, inquisitione huius modi in uniuersum facta et per vos designato atq^{e} constituto quod a quoq^{e} locorum minore iactura et incommodo detrahi possit super quo conscientias vestras volumus oneratas, demum vobis permittim^{s} plenamq^{e} ac liberam et absolutam facult^{em} mandatum et auctoritatem tribuimus ut, nullius consensu requisito ac etiam inuitis possessoribus, de omni et quacumq^{e} proprietate et dominio ecclesia^{m} cathedralium etiam metropolitanarum primatialium et parochialium nec non monasteriorum prioratuum dignitatum etiam conuentualium maiorum et principalium administrationum et officiorum cæterorumque beneficiorum ecclesiasticorum cum cura et sine cura secularium ac sancti benedicti sancti augustini Cluniasensis Cistersiensis premonstratensis Grandimontensis fontisebraudi et quorumcumq^{e} aliorum ordinum regularium nec non capitulorum conuentuum et locorum omnium in regno et dominiis predictis consistentium eorumq^{e} mensarum et annexorum non tamen mendicantium et hospitalis sancti Johannis hierosolimitani bona immobilia etiam feudalia et cuiscumq^{e} alterius qualitatis et naturæ, nec non census fructus redditus et jura usque ad valorem annuum quinquaginta milium scutorum auri ab ipsis ecclesiis monasteriis dignitatibus officiis beneficiis mensis capitulis conuentibus ordinibus et locis eorumq^{e} proprietatibus et juribus, ita tamen quod ipsa bona feudalia nec precipua nec nobiliora sed dispendiosa et parui redditus sint quorumq^{e} alienatio dignitatem ecclesiis monasteriis beneficiis ordinibus et locis non minuat, et parochialium ecclesiarum centum, aliorum vero simplicium beneficiorum prædictorum fructus redditus et prouentus viginti quatuor ducatorum auri de camera secundum communem æstimationem valorem annuum excedant, perpetuo dismembrare et separare et sic dismembrata et diuisa et a reliquo corpore alienata quibuscumq^{e} uberiorem conditionem offerentibus vendere et titullo venditionis transferre, ita quod omnes emptores et eorum successores quicumq^{e} fuerint illa tanquam profana propria paterna et auita possidere et de illis eorumq^{e} fructibus libere disponere possint, precium vero ex huiusmodi venditionib^{s} prouenient prædicto Carolo regi ad ipsos belli usus duntaxat persolvere cæteraque omnia et singula in predictis omnibus necessaria et opportuna facere et exequi vicesque vestras siue in toto siue in parte delegare libere et licite valeatis, etiam si talia forent quæ mandatum exigerent magis speciale quam presentibus est expressum, non obstantibus apostolicis ac in consiliis generalibus et etiam specialibus editis

nec non Symachi et Pauli (III) secundi aliorumqᵉ romanorum pontificum prædecessorum nostrorum de rebus ecclesiæ non alienandis et alienatis ad ius et proprietatem reuocandis aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, nec non ecclesiarum monasteriorum conuentuum et ordinum predictorum juramento confirmatione apostolica vel quauis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus priuilegiis quoque exemptionibus et indultis apostolicis eisdem ac ipsorum superioribus et personis per quoscumque Romanos pontifices predecessoresqᵉ nostros ac nos et sedem apostolicam etiam motu proprio et ex nostra scientia deqᵉ apostolicæ potestatis plenitudine et aliter alias sub quibuscumqᵉ tenoribus et formis ac cum quibus suis etiam derogatoriarum derogatoriis aliisqᵉ efficacioribus efficacissimis et in solitis clausulis et decretis quotiescumqᵉ concessis confirmatis et innouatis, et quibuslibet aliis indulgentiis et literis appostolicis generalibus et specialibus quorumcumqᵉ tenorum existant perqᵉ presentibus non expressa vel totaliter non inserta effectus eorum impediri valeat quomodolibet vel differri et de quibus quorumquᵉ totis tenoribus de verbo ad verbum habenda sit in nostris literis mencio specialis, quæ omnia cuiquam nolumus in aliquo suffragari, quod si vestrum quisquam legitimo impedimento detentus predictorum executioni nequiuerit interesse tres ex vobis ea nihilominus exequantur. Cæterum cupientes ecclesiasticum statum prædictum tam graui noxa affectum quoquo pacto restaurari maiestatem dicti regis etiam atqᵉ etiam hortamur et monemus ut pro ea qua prestat pietate et charitate quamprimum studeat omnia huius modi damna et incommoda ecclesiarum monasteriorum et beneficiorum predictorum de liquidioribus fisco eius addictis hereticorum et seditiosorum bonis re ipsa resarcire. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ permissionis tributionis voluntatis decreti mandati hortationis et monitionis infringere vel ei ausu temerario contraire ; si quis autem hoc attemptare presumpserit indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se nouerit incursurum. Datum Romæ apud sanctum Petrum anno incarnationis dominicæ millesimo quingentesimo sexagesimo octauo calendas decembris pontificatus nostri anno tertio. Ainsi signé : Cæ. Glorierius, et plus bas M. datˢ, et sur le reply h. Cumyn. Et au doz est escript : Regʳᵃᵗᵃ apud Cesarem secretarium, et scellée en plomb sur las de soye rouge et jaulne, leue publiée et enregʳᵉᵉ, oy sur ce le Procureur general du Roy, à Paris en parlement le vingtième jour de décembre an mil cinq cens soixante huict. Ainsi signé Dutillet.

III. — ADVERTIMENTI SOPRA LA VENDITA DI BUONI ECCLESIASTICI

(page 49)

Si ben per maggior riputatione e dignità de li S^ri Commissarii si è fatta la bolla di poter alienare de le entrate ecclesiastiche assai larga et generale, l'animo però et l'intentione di N. S. è stata et è che si habbino le infrascritti avvertenze, et si osservinno inviolabilm^te cio è. 1° Che non si habbi à vendere altra sorte di stabili se non case, et molini, che per il continuo bisogno che hanno di riparatione sono di poco frutto, et di quelli censi li quali non hanno annessa jurisdittione alcuna, et da li quali si può cavar 30 et 40 per uno, come dicono esser solito cavarsi in Francia. 2° Che non si vendono terre, ville, castelli, o altra cosa che habbi jurisdittione di vassalli, si ben fussero di poco frutto, et si trovassero a vender gran prezzo. 3° Che non si venda cosa alcuna *neque directe*, *neque indirecte* ad alcuno Heretico, ne sospetto de la fide, ma solo a persona veramente catholiche. 4° Che di tutti le vendite che si faranno si tenga un registro et conto particolare, et ogni mese si mandi copia a N. S^e di quelle che si saranno fatte, acciò S. S^ta possa star con l'animo quieto che non si preterisca l'ordine et intentione sua. 5° Che nel resto si osservi *ad unguem* il tenore et dispositione de la bolla.

Rome 30 Augusti 1574.

Nunz. di Francia, tome 8, p. 89.

IV. — L'ASSEMBLÉE PRÉLATICE DE SEPTEMBRE 1575

(page 55)

I prelati che debbon' essere XX con l'intervento del card^l di Guisa furono chiamati nell'allogiamento del card^e di Borbone, dove si trovò ancora il cancelliere, che in nome del Re rimostro in che stato si trove S. M^a et domando aiuto, inculcando che dovessino consentire alla vendita di ^m/100 scudi d'entrata, poi che tutto quello che hanno, è del Re ; et che sempre, che piaccia alla M^a sua di vendere ciò che c'è di beni ecc^i lo può fare senza dirne lor nullo. Fornità che hebbè la sua proposta si parti spontaneamente : Che quanto a i prelati havrebbono desiderato che fusse rimasto a sentir'i lor parere. Nel votare parlorno tutti altamente, dannando la vendita, rammaricandosi della proposta et totalmente detestando, che s'habbia ad'udire, che l'Rè habbia auctorita ne beni ecc^i riscaldandosi di maniera, che parse, che fussero tochi su'l'vivo : Et che tra loro

fussino di que gli, che segua che vuole, et commandi chi ha, et chi non ha autorita sopra le cose ecc[ce] non sono per voler più sentire ne di vendite, ne d'altra gravezza ; facendosi scudo sopra tutto d'un pretesto, che qui vadi ogni cosa in ruine, et che tutto quello, ch'el clero possa fare, sia di ruinarsi ; senza che ne'tempi, che noi siamo si possa sperare sollaggiamento alcuno a questo afflitto Regno. In consiglio dipoi è stato risoluto di mandar a Roma a domandare d'ogni sorte cose, cioè danari contanti, et autorita nel clero.

Ibid., p. 505-506.

V. — DÉPÈCHE DU NONCE SALVIATI AU CARDINAL SECRÉTAIRE

(page 62)

L'illustr[mi] card[li] et gli altri s[ri] commissarii si sono più volte congregati per conto di tal vendita. Et per quello, ch'io ho visto, hanno sin qui proceduto di modo, che mi pare che non si possà che lodargli. Hanno atteso a far'una instruttione, per mandar a tutti quei, che saranno sudelegati a tal neg[o] et a vedere come si dovranno governare nelle tasse ; con haver'in consideratione tutto quello, che si è fatto per il passato, si in materia di vendita, che di percettion di decime, o parte di frutti, et le querele, che per causa di tai negotii son venute. Et quando intorno a l'uno, o l'altro si sarà alcuna cosa di concluso, ne mandarò note a V. S. Ill[ma]. Quando sono insieme convenuti, m'hanno sempre fatto chiamare ; con mostrare di havere molto caro, ch'iò habbia ad intervenire ; et io da l'altro canto ho cercò non esser loro inutile, ne noioso. Et per sodisfare agli ordini di V. S. Ill[ma] ho mostro quanto di nuovo ella mi scrive in q[ta] materia, et il foglio de gli articoli, che mi mando con l'occ[one] de l'altra alienatione. Tra quali sono l'infrascritti, cioè. (Voir ci-dessus Appendice III, n° 1° et 2°). Ma hanno detto, che tai articoli ne anco l'altra volta furono messi in uso, che son di diretto contro la bolla ; et che chi gli osservasse rigorosamente, non si fornirebbe mai la venditá : perche delle case et molini, che si possono vendere, non ce n'è tante, che bastino ad arrivare a m/50 scudi di fondo, che si cercano. Oltre che in molti luoghi non ve n'è nessuno : bene che ne anco è parte alcuna nel regno, ove tali cose si vendano a ragione di 30 o 40 per uno. Et anco che essendo la maggior parte delle terre, che son possedute dalle chiese, con qualche sorte di iurisdittione, è forza che in alcun luogo non si osservi ad unguem quel, che in ciò si scrive. Et che però bisogna haver l'occhio in generale : et che conformandosi alla Bolla, si venda di man'in mano quel, che è men dannoso alla chiesa.

Anzi per chè la bolla portà che si venda a ragion del danare 24, che intendono a 4 per cento, che sarà forza di vendere in alcuni luoghi a 5. Onde ricordano come cosa necessaria che N. S. conceda un breve per quei luoghi, dove non se ne potra far di manco.

Di che mi hanno anco pregato di scriverne a V. S. Ill^{ma} con risolutione di far anco essi il med^{o} come credo che faranno, se non forse hoggi, almeno tra qualche giorno in ogni modo; secondo che saranno costretti de la necessita. Et per quel, ch'iò conosco, non ardirei mai di dire, che la dimanda sia impertinente, dovendosi esseguir l'alienatione portata per la bolla. L'ult^{o} partito, ch'io scrissi a V. S. Ill^{ma} che cercavano di fare sopra tal'assegnamento, con utile di 3 soldi per lira a quel, che lo faceva, non andò innanzi per diverse sospetti, che nacquero tra le parti.

Ibid., pp. 632-636.

INDEX RERUM

13850. — LUGDUNI, TYPIS MATHÆI PAQUET, VIA DE LA CHARITÉ, 46.